

S. METHODII PATARENSIS

CONVIVIUM DECEM VIRGINUM

TRICESIM

S. METHODII PATARENSIS

CONVIVIUM DECEM VIRGINUM



PARISIIS

AD P. M. DEBAILLON, LIBRAIRE, RUE DE LA HARPE, N. 22.

COZZATTUM DUCEM VIRGINUM
METHODE PATRIS
METHODE PATRIS



H.F.u. f. 80^a (144²ⁿ)

S. METHODII PATARENSIS

CONVIVIUM DECEM VIRGINUM

THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

PROPONEBAT

Ernestus CAREL

IN SEMINARIO MINORI SANCTI-NICOLAI
PARISIIS
RHETORICÆ PROFESSOR



PARISIIS

APUD GAUME ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

3, VIA DICTA DE L'ABBAYE, 3

H. L. S. 100 (104)

8. METHODI PATARRENSIS

CONVULSIVUM DROEM VIRGINIUM

THEM

PATRISIENSIS LITTERARUM FACULTATIS

PROGROSSUM

THOMAS GARDNER

IN SENIATU REPTI S. M. 1870

L. 1870

PROGROSSUM PATARRENSIS



PATRISIENSIS

ACAD. GARDNER ET GARDNER, BIBLIOPOLAS

1. VIA IVATA IN CHARLOTTA, S.

PIERRE
OPUS PROPOSITUM

REVERENDO PATRI BOUSQUET

PATRUM DE PICPUS PREPOSITO GENERALI
REVERENTIE ET GRATI ANIMI PIGNUS

E. CAREL.

HAVERHOLD PATRI BODISQUET

ALBION DE TROIS RANGS DE LA REINE

ROYAUME DE FRANCE

E. GARNIER

— VIII —

PRÆFATIO

OPERIS PROPOSITUM

Quid de sancto Methodio Patarensi sentiendum, quem scriptores alii summis laudibus extulerunt, alii autem, ut Eusebius et Socrates, aut silentio præterierunt aut etiam vituperarunt?

Plurimi semper a plerisque Doctoribus habitus est Methodius. A Joanne enim Thessalonicensi episcopo *Magnus Methodius* (1) vocatur, a sancto Anastasio Sinaïta, *sapientia percelebris*. Hanc ei laudem impertivit Epiphanius, strenuus ille veritatis catholicæ defensor : *Vir apprime doctus, acerrimusque veritatis patronus* (2). Tandem ut dignus tantis laudibus finis imponatur, Hieronymus, eloquens ille scriptor, *nitidum compositumque sermonem* in Methodio nostro invenit.

Præclaris adeo testimoniis præclararum quoddam testimonium defuisse scio, Eusebii scilicet, qui, quamvis plures alios ecclesiasticos scriptores commemoraverit Methodio multo inferiores, nullam de eo mentionem fecit, aut si quam aliquando, ad id fecit ut Methodium carperet. Sic enim in

(1) N° 16.

(2) Hær. LXIV, n° 63.

Origenis apologia habet: « *Quomodo ausus est Methodius nunc contra Origenem scribere, qui hæc et hæc de Origenis locutus est dogmatibus (1)?* »

Tillemontius (2) Methodium multo minus martyrio quam scriptis suis illustrem prædicat, in quibus et vim acuminis et pietatis sensus agnoscas. Colore autem longe diverso eum pingit sæculi XIX criticus quidam (3), ut, quam in partem inclinet auditor, sane nesciat. Ego vero, quid senserim in legendo Methodio, ingenue confitebor. Nam, cum mihi auctor fuisset vir eruditus, et græcarum disciplinarum et studiosæ juventutis amans, ut Methodium legerem quem cum Platone conferrem, valde primum timui ne in centonem quemdam incurrerem. Etenim quanquam primariis Ecclesiæ græcæ patribus summa animi voluptate studueram, legere me memineram centones plurimos sæculo XVI et XVII compositos, in quibus plus acuminis quam fructus reperissem.

Legenti autem mihi Methodium exspectatio mota est et studium etiam meum. Tantam in imitatione novitatem inesse valde sum admiratus. Quis enim fieri posse putasset, ut Methodius, iis quæ a Platonis convivis de amore afferuntur, decem Virginum orationes de castitate opponeret?

(1) Hieron. lib. I *contra Rufin.*, 2.

(2) *Mémoires*, IV, p. 467, in 4°.

(3) « Son style diffus, enflé et chargé d'épithètes a tous les défauts d'une mauvaise versification transportés dans la prose. On devinerait aisément que saint Méthodius a commencé par être poète. » Hæc Carolus Nodier in sua *Bibliotheca Græco-Latina*.

Quis vero platonicae venustatis et elegantiae nitorem expressum ab Ecclesiae Graecae patre parum a nobis cognito non stupeat? Adde quod christianae disciplinae altitudo, pulchrae allegoriae, sacrarum Scripturarum explanatio omnino nova, libellum illum omnibus cum philologis, tum theologis jucundissimum commendant. Hic enim videre est quomodo res et sacrae et profanae mutuo sibi sint aut adjumento aut ornamento, nedum opponantur. Scientiarum enim Deus, a quo *bona omnia descendunt*, ipse sibi contradicere non potest.

Sed ne rem actam agamus, illa partim omitemus. Methodium enim modo philoogo Jahnius egregie tractavit in suo *Methodio Platonizante* (1). Theologis quidem et philologis demonstravit ille. « Quid philosophia antiqua, praesertim platonica, Patribus Ecclesiae profuerit, quorum eruditissimi quique tantum abfuit, ut scriptores classicos alto supercilio despicerent, ut eruditionis ac sapientiae classicae florem delibarent, eoque scripta sua ornarent (2). » Nonne Basilium Magnum videmus, in explicanda Spiritus Sancti natura, adeo se Plotino mancipasse, ut quaecumque iste, vel de anima mundi, vel de intellectu divino theologice disputasset, ea in Spiritum Sanctum transferret (3)? Nonne Cyrillus Alexandrinus, de Filii divinitate docens (4), eodem argumento usus est? Nonne

(1) Halis Saxonum, 1865.

(2) Id., *Præf.*, p. 12.

(3) Cf. *Enn.*, V, lib. I, c. 1 et v, et Basil. *de Spiritu*, ad fin.

(4) *Contra Jul.*, lib. VIII, p. 273.

plures alii Patres antiquiores hunc eundem locum variaque Platonica et Plotiniana ad se traxerunt quæ in suos usus converterent? Unde igitur ingens ille et prope insanus ardor, locos integros accommodandi ad christianæ disciplinæ mysteria, vel explicanda vel exornanda? Philosophia et theologia platonica vel neoplatonica instructi Patres, litteris græcis adeo nitidis imbuti et capti, melius nihil, nihil utilius facere se posse existimabant, quam si novam doctrinam splendidis illis litteris exprimerent. Tullius, quum ad philosophiam græcam se contulit, Platonis et dogmata et stylum in primis transtulit. Adde quod vestibis illis induta christiana doctrina magis doctis placebat, facilius et altius animos perfundebat. « Imitati fuerunt dictionis platonice elegantiam, ait Heusde in præclaro suo libro, quotquot alexandrino ævo, ætate Trajani et Antoninorum, apud Christianos etiam scribere elegantius conati sunt. »

Qua in re nihil est a sanctis Patribus innovatum. Quod ab omnibus scriptoribus fiebat, et ipsi fecerunt. Nonne Jamblicus a Platone, partim ex Epinomide, partim vero e septimo de Republica libro, callido furto surripuit et consarcinavit, ut videre est apud Villoison? Methodius autem ita se Platone imbuerat, ut ejus et dictionem et sententias suos in usus argute traduceret. « Jam pridem in vulgus notum fuit, ait Jahnius eodem loco, S. Methodium, in Symposio x virginum, Platonis Symposium ita imitatum fuisse, ut iis quæ Plato a convivis de Amore disputari fecisset, orationes de castitate a decem virginibus in Symposio prolatas opponeret.

Sed quale id esset, nemo ex iis qui seculo XVII Methodii Symposio operam navarunt, explorandum sibi sumpsit; » nemo sequentibus etiam sæculis, si Sinnerum excipias, qui perpauca id subindicavit. Qualis igitur fuerit Methodius, quale ejus Convivium, inspiciendum suscepimus. Sed melius quid supersit agendum jam videbitur, quum de variis Methodii editionibus planum fecerimus.

Mirandum omnino videtur Methodium illum, qui tantum primis Ecclesiæ sæculis innotuit, ignotum deinde jacuisse et tenebris obsitum. Quem quidem, nisi eum Epiphanius et Joannes Damascenus in suæ doctrinæ testimonium adduxissent, periisse omnino putes. Ecce autem medio sæculo decimo septimo pulverem excutiens tragœdias excitat, discordiæ civilis aliquid in litterarum rempublicam injicit, atque Romæ fere simul et Lutetiæ prodit in lucem. Diuturnum silentium cum illustri celebritate compensare velle visus est.

Vaticanam enim bibliothecam quum inviseret Sueviæ regina, Christina, doctorum hominum frequentia stipata, bibliothecæ præfectus, Lucas Holstenius, Methodii Symposium ei obtulit : *« Nempe hic liber est, inquit regina patrem Possinium intuens, quem a te quam primum expectamus. »* Interpellat autem vir in primis doctus, Allatius. — *Imo a me, Serenissima Regina, a me Methodii Convivium expectetur. Ego hunc locum occupavi, nec cuiquam concedam.* — Paucis enim ante annis in lucem se daturum ipse hunc librum promiserat, nec is erat Allatius, vir et doctus et

bibliothecæ præfectus, qui aut opera sua, aut laude merita frustrari se impune pateretur.

« Obmutui, fateor, ait Possinius, quid enim contra tenderem adversus hominem et majorem natu, et mihi amicum, et cum Romæ gratiosum, tum ubique suo merito celebrem. Ergo mihi pudorem doloremque inanis operæ tantum coquenti, — Symposii versionem instituerat, — Regina mox seducto in partem : « Quid, inquit, agimus, nihilne ad hæc consilii expedis ? Equidem, inquam, Regina, nihil melius video quam cedere, quod ætas et professio suadet mea. Condolebis hæc legens, humanissime Valesi (1). »

Condoluit Valesius et amico laboranti succurrit. Id enim consilii expedierat Possinius. Postquam Holstenio græcum suum exemplar restituit, ipse suam interpretationem simul cum Vaticano codice transcripto Lutetiam ad Valesium misit. Qui quidem Byzantinæ collectioni typis mandandæ operam dabat ; sed aliquid moræ lucro apponens, Convivium nostrum magnifico in-folio impressit. Hæc autem omnia et animo concipi, et tractari et agi non potuerunt, quin annus elaberetur integer. Possinii igitur Convivium anno tantum 1657 prodiit in lucem (2) hoc titulo : *S. P. N. Methodii episcopi et martyris Convivium Virginum. Nunc primum editum et Latinitate donatum a Petro Possinio Soc. Jesu theologo, ac S. D. N. Alexandro VII dicatum. Parisiis, e typographia Regia.*

(1) Præfatio, *Epistola ad Valesium*

(2) Methodii opera Lutetiæ jam edita fuerant a Combesio, 1644, sed imperfecta.

Allatius autem summa diligentia et alacritate operi suo incubuit, quod eo ipso anno 1656 edidit in-8° :

S. P. N. Methodii episcopi et martyris Convivium decem virginum. Leo Allatius hactenus non editum primus græce vulgavit, latine vertit, notas et diatribam de Methodiorum scriptis adjecit, Romæ, typis S. Congregationis de propaganda fide, 1656.

Paucis post annis, Convivium nostrum tertio vulgatum est a Fr. Combefisio, et in *Bibliothecæ græcorum patrum Auctarium novissimum parte* insertum. Paris, in-folio, 1672. Quæ quidem editio Venetiis iterum fuit impressa, in *Bibliotheca græco-latina veterum Patrum* Andrææ Galandi, in-fol., 1788, cum notis Allatii. Nullo modo inutilis fuit hæc Combefisii editio : nam semel iterumque vulgavit libellum suum vir doctus quem novo cultu expolivit, cum annotationibus ad calcem operis positis. In interpretando Methodium Possinius, linguæ græcæ parum sciens, stylo usus est turgido, epithetis abundante, nec satis exacto. H. Valesius, ut erat doctus, notas nonnullas addidit sat eruditas. Vim et auctoritatem longe majorem habet Leonis Allatii editio, cui notas adjecit et diatribam, quæ summi momenti est ut Patres cognoscas.

Nostro denique sæculo, hanc Combefisii editionem renovavit Migne cum notis Allatii, in tomo XVIII Patrologiæ suæ Græcæ, 1857. Addidit varia fragmenta hactenus edita, cum sermonibus de Simeone et Anna, in Ramos Palmarum

et excerpta tria de cruce et Passione Christi.

Multo vero purior et emendatior nobis videtur Alberti Jahnii editio, in-4°, Halis Saxonum, 1865, sub hoc titulo : *S. Methodii opera et S. Methodius Platonizans*. Varias enim lectiones, varia manuscripta confert, discutit, confirmat aut rejicit (1), et aliquid inde lucis tum ad Methodium, tum ad Platonem etiam illustrandum eruit. Ad scriptorem enim aliquem bene et plane intelligendum, nihil æque juvat, ac imitator qui illius sententiam referat aut refellat. Quam sponte, qua diligentia, qua arte Platonis vestigiis institerit Methodius, Jahnius aptissime ostendit. Non solum locutiones, sed etiam imagines et sententias aut a Platone mutuatus est Methodius, aut in sensus et novos et ingeniosos detorsit. Quæ imitatio, quo melius appareret, in eadem pagina opposuit Jahnius Platonicas et Methodianas dictiones. In annotationibus vero eruditus vindicavit loquendi usum Platonicum et ecclesiasticum, multa *obiter sparsit quæ tum Platoni et Platonis, tum Methodio aliisque Ecclesiæ scriptoribus emendandis vel explicandis prodessent* (2). Optima sane est hæc via et methodus analytica, ut judices, aut quid differant uterque scriptor, aut quid sint similes. Te enim manu ducit, ut ita dicam, digitumque in singula loca digna quæ animadvertas apponit. Nescio vero an de opere toto tam bene possit judicari. Dispersam enim et quasi disjectam men-

(1) Vide p. 62, 63, 90, 92.

(2) Vide *Præf.*, p. xi.

tis intentionem iterum colligas oportet, librumque uno intuitu deinde consideres. Ad hæc autem omnia facienda sæpe deficit aut tempus, aut diligentia, aut animi vigor.

Ideo mihi in mentem venit Methodii Convivium exponere (nam nullibi, quod sciam, res facta est). Singula igitur capita percurremus, quæ præcipua in eis sunt explicantes; plurima excerpta ante oculos legentium supponentur, ut de sancto Doctore possint ipsi iudicium ferre. Paucissima igitur de nostro afferemus; etiam cum orationem aliquam brevitatis causa contrahimus, sancti Doctoris sententiam et ipsa verba religiose servamus, referentis partes fere agentes. Platonis locos imitatos, præcipuos saltem, ad calcem cujusque capituli vel orationis subindicabimus. Postquam autem breviter collata fuerint et Platonis et Methodii Convivia, inspectusque stylus, tunc suus sancto Doctore locus cum in litteris, tum inter Patres haud difficile tribuetur.

Quam differat latina lingua a græca nemo sane ignorat. Tenuis enim et acuta illa, ad exprimendos sensus tum philosophicos, tum theologicos, mirum in modum se accommodat. Gravissimum autem Romanorum sermonem mille discrimibus vix flectas, aut si rem aliquando tentabis, natus lepos græcæ orationis et nitor obscuratur ac fere exstinguitur omnis. Philosophicis aut theologis rebus suum colorem servandum putavimus, nec ad perpoliendum sermonem operam suscepimus inanem, quæ minus forsitan elegantiae attulisset quam obscuritatis.

— 72 —

SCRIPTORES A NOBIS ADHIBITI.

- LEO ALLATIUS. *Methodii Convivium decem virginum, cum diatriba de Methodiorum scriptis*, in-8°, Romæ, 1656.
- DOM CEILLIER. *Histoire des auteurs sacrés*, tom. III. Paris, 1865.
- V. COUSIN. *Platon*, t. IV, VI; *Phèdre, le Banquet*.
- EUSEBII PAMPHILI *Historiæ* (de Valois), Paris, 1678.
- FABRICIUS. *Bibliotheca græca*. Harles, t. VII.
- JOS. FESSLER. *Institutiones Patrologiæ*, t. I, in-8°, 1850.
- GALLAND. Tome III,
- HEUSDE. *Init. philos. plat.*
- JAHNIUS. a) *Methodius Platonizans*, in-4°, Bernæ, 1865.
 b) *Basilius Magnus Plotinizans*, in-4°, 1838.
 c) *Dissertatio platonica de causa et natura mythorum platoniorum*, in-8°, Bernæ, 1839.
- LUMPER. *Historia theologico-critica*, pars XIII.
- J. A. MOELHER. *La Patrologie ou Histoire littéraire des trois premiers siècles*. Paris, 1842.
- REGIUS. *Symposium Platonis*.
- L. DE SINNER. *Platonis Convivium*, in-8°, Parisiis, 1834.
- J. A. SIXTI. *Commentatio de Methodio, Tyri quondam episcopo*. Altorf, in-4°, 1787.
- STILTING. *In Actis SS. Septembris*, t. V.
- TILLEMONT. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. V, Paris, 1698.
- Et plures alii, inter quos E. DUPIN, SOCRATES, HIERONYMUS, etc.

CAPUT PRIMUM

PROLEGOMENA DE METHODIO PATARENSI EJUSQUE SCRIPTIS

« De S. Methodio episcopo, licet scriptis celebri et martyrio, aiunt Bollandiani, plura habemus dubitationibus obnoxia quam certo enarranda. »

Dubitari tamen nullo modo potest triplici titulo ornatum illustratumque fuisse sanctum Methodium, qui episcopi munere et martyrio functus fuerit, et scripta in lucem ediderit vel pulcherrima. Quomodo vero dubitatio suboriatuŕ aliqua in multis rebus quæ ad tantum virum pertineant, merito admireris. Episcopum fuisse Methodium et celeberrimum quidem, effuso sanguine fidem suam confirmasse, inter præstantes Ecclesiæ græcæ doctores annumeratum, nullum fere scriptorem inuenio qui non præ se ferat. In quibus autem urbibus episcopum se gesserit, quo anno, vel quo imperatore vitam deposuerit,

Historici certant, et adhuc sub iudice lis est.

Multiplex ille opinionum fluctus minus forte mirus nobis videbitur, si jam Hieronymi tempore cœpisse dubitationem illam animadverterimus. Sic enim habet Hieronymus (1):

(1) *Catal. script. ecc.*, c. 83.

« Methodius, Olympi Lyciæ et postea Tyri episcopus, nitidi compositique sermonis adversus Porphyrium confecit libros, et Symposium virginum, et de Resurrectione opus egregium contra Origenem, et adversus eundem de Pythonissa et de Autexusio, in Genesim quoque et Cantica Canticorum commentarios, et multa alia quæ vulgo lectitantur; et ad extremum novissimæ persecutionis, sive ut alii affirmant, sub Decio et Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est. »

Egregium Hieronymi testimonium : nec ullum video scriptorem qui Methodium unquam negaverit fuisse Olympi Lyciæ episcopum. Socrates enim, ætate Hieronymo suppari, dixit : « *Laboravit hoc morbo (scribendi contra Origenem) primum Methodius, Olympi Lyciæ civitatis episcopus (1).* »

An invidia pulsus Methodius ita egerit, non admitterim ego, licet id affirmet Socrates. Tantum virum enim, tam pium et eruditum illud minime decet. Imo hanc ipsi Socrati invidiam nec imprudens possis attribuere. Cur enim in sua historia hæc in Methodium effutiit : « Abjecti homines quum a se ipsis illustrari non valeant, carpendo se ipsis meliores, nomen sibi volunt acquirere (2). »

Cur mutato deinde in Origenem animo palinodiam decantasse Methodium dicit, virumque admiratum fuisse (in Xenone dialogo) quem antea vituperaverat ? Nimis abripitur hic Socrates seque ipse prodiu imprudens. Nam, ut recte observat Allatius : « Uni soli Socrati innotuit, quod omnes Origenis defensores, Eusebius, Ruffinus et alii penitus ignorant ? postea in Xenone

(1) Liv. VI, c. XIII.

(2) C. VI.

dialogo summis eum laudibus extulit. Extulerit. Ideone mutata sententia errores quos antea criminatus fuerat, laudavit? Origenes plane, licet multis deturpetur errorum notis, suis tamen laudibus non caret. Valuit ingenio, valuit eruditione, valuit aliis. Inter paucos doctores suum et ipse locum habuit nec postremum. Gloriam sibi et famam apud suos et externos, nec non et posteros consecutus est. Id non negavit Methodius. Fessus est palam quod erat; sed non propterea palinodiam decantavit, et revocavit sententiam et errores illius admisit. »

Hic minime latet perstringendi Methodii consilium in Socrate, qui nullam de Tyri episcopatu mentionem facit, ut forte tanto Origenis nomini oppidi cujuslibet episcopum opponeret. Idem affirmat Maximus. Neque tamen Tyri episcopatum meminit in scoliis ad librum de Ecclesiastica Hierarchia : « Lege quæ adversus Origenem de Resurrectione scripsit Methodius, sanctissimus martyr et episcopus Olympi, urbis Lyciæ, quæ etiam Hadrianopolis dicta est (1). »

Constare omnia secum atque optime cohærere videmus, ut Methodium nostrum Olympi episcopum fuisse affirmetur. Ecce autem nova suboritur opinio, siquidem Leontius Byzantius in sua de sectis Historiâ, quum enumerat Ecclesiæ doctores qui ab Apostolis ad Constantinum usque floruerunt, laudat Methodium, *Patarensem episcopum*. Joannes etiam Damascenus, libro de Imaginibus ad finem, eundem Patarensem laudibus afficit. Nonnullos etiam hæc Suidæ verba afferre non ignoro : « *Methodius, Olympi Lyciæ, aut Patarorum, et deinde Tyri episcopus.* »

(1) Act., III.

Quid autem inde eruere possint, aut velint, non video. Nonne enim luce clarius est, Suidam his verbis dubitationem exprimere voluisse qua affectum se sentiebat, Olympi an Patarorum episcopus fuisset Methodius? Magis ad rem facerent Menologia et Menœa Græcorum quæ Methodium Patarensem celebrant ad XX junii, adeo ut dicere potuerit Henschenius : « Celebrerrima est ad hunc XX diem junii memoria S. Methodii, Episcopi Patarenensis, in omnibus sacris Græcorum libris.... »

Tam varia diversaque sentiendi ratio græcos inter natu majores et posteriores in novam te dubitationem injiciet, unde te expedire vix possis. Si enim cum Allatio id admittas, Methodium et Olympi et Patarorum fuisse episcopum, Myrensis civitatis et ecclesiasticæ Lyciæ Metropolis, parum rationem habere videaris. Vix enim fieri possit ut duas civitates longe dissitas administraverit unus episcopus, quum interponatur civitas illa sancti Nicolai myrensis, quæ a primo christianismi sæculo præsules suos habuerit (1). Nisi fortasse persecutionibus vel tempori consulendum fuit, unique pastori fortissimo gregis custodia committenda. Hanc conjecturam tantum facio, nec aliam quam conjecturæ vim habere velim; nam pro factis opiniones non habentur. Non ausim ergo cum Allatio dicere :

« Et cum Olympi Lyciæ fuerit episcopus, quæ inter sex maximas Lyciæ urbes commemoratur, potuit esse eodem ipso tempore et Patarorum et aliarum in Lycia urbium episcopus. Cum enim adhuc sub Maximiano et Diocletiano potissimum persecutiones in christianos recrudescerent,

(1) Lequien, t. I, col. 965.

neque exacta episcopatum divisio, quæ postea pace in Asia subsecuta arbitrio conciliorum et aliorum, quorum id intererat, in minores partes, ut promptius populorum incommodis succurreretur, firmitatem habuit; quare fuerit Methodius hic noster et Pataris, et Olympo, et Tyro, et si cui non ingratum futurum sperarem, Side episcopus, in regione Lycia et Pamphylia maris proximis (1). »

Commodum hic interpretem habemus, et bene indulgentem.

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Ut tantis incommodis occurrerent, duos exstitisse Methodios aliqui voluerunt, patarensem unum scriptis suis illustrem, alterum autem martyrio celebrem, Chalceide in Græcia (2). Sed quidquid sit de patarensis titulo, nullum nostro Methodio detrahi possit ex omnibus operibus quæ post Hieronymum ipsi attribuit omnis antiquitas ecclesiastica. Recte igitur Tillemontius Baronium carpens quod alium Olympi episcopum, Methodium posuerit, alium Patarorum : *Puisque les modernes attribuent à l'évêque de Patara tout ce que les anciens disent de celui d'Olympe, on ne peut douter que ce ne soit le même saint* (3). »

Tyrum in Phœnicia deinde concessit Methodius, ut S. Tyrannioni martyri forte succederet, martyr et ipse futurus. Qua de causa ex provincia sua in aliam fuerit translatus, licet id temporis ea res perraro fieret prorsus ignoratur; forsitan ut celebri urbi præponeretur episcopus et scriptis et tota vita celeberr-

(1) Allatius, p. 305.

(2) In eandem sententiam inclinant Bollandi continuatores, ut videre est ad diem XX junii.

(3) *Mém.*, V, p. 766, note.

rimus. Tyriensi Ecclesiæ tamen non diu præfuit novus præsul, si sancto Tyrannioni successit, ut affirmant aliqui (1). Humili enim ardentique amore pulsus, hoc a Deo petierat ut, judicii die, hæc ipse diceret quæ de martyribus intelligebat : « *Probasti nos, Deus ; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Quod utinam et mihi Methodio usurpare aliquando liceat, omnipotens æterne Deus, pater Christi, cum in die tua per ignem sine ullo dolore transiero, et aquarum quæ in urendi naturam mutatæ sint, impetum effugero* (2). » Nec vota ejus eventus fefellit ; nam martyrium obiit, quo autem tempore, valde apud scriptores ambigitur.

Sub Diocletiano enim sanctum Methodium interfectum contendunt alii, alii vero sub Decio et Valeriano. In priorem sententiam, uti veriolem, cum Baronio, Possevino et Vossio inclinaverim ego. Nam certa res habetur, a Methodio vehementer oppugnatum fuisse Porphyrium. Quomodo vero id fieri potuit, si martyrio Methodius sub Decio fuit coronatus ? Constat enim Porphyrium anno Gallieni decimo, qui Christi est 274, e Græcia Romam venisse, Plotino philosopho adhæsurum, annos natum triginta. Decem igitur et novem annos natus Porphyrius regnante Decio, nec illis imbui artibus potuit, nec ea apud suos auctoritate esse, ut calamum in Christianos verterit. Fac vero Methodium, ut volunt plures scriptores, Diocletianis temporibus succubuisse ; Porphyrio potuit ipse commode respondere et ad finem

(1) « Il peut avoir été fait evesque de Tyr après saint Tyrannion. » *Ibid.*, p. 466.

(2) Epiph. hæc. 64, p. 574.

novissimæ persecutionis martyrio coronari. Rejiciendus ergo omnino videtur annus 263 et admittendus 311 vel 312, quippe qui monumentis nitatur inconcussis. Dicemus igitur cum Vossio de histor. gr.: « Methodius, juxta Suidam, sub Decio, et Valeriano, *sed verius* (ut apud Hieronymum etiam legitur) *decima persecutione, sub Diocletiano martyrii coronam accepit* (1). »

Nec vita tantum et effuso sanguine Methodius testimonium fidei dedit, sed scriptis etiam et mirabili ad defendendam religionem ardore. Ipse enim populum suum instituere et hostium tela ab Ecclesia rejicere, Judæorum more qui, dum templum iterum restituebant, una manu sacras ædes instruebant, altera autem gladium tenentes hostes repellebant a cœptis operibus. Sacram Scripturam pluribus ad populum suum habitis concionibus explanavit, pietatem deinde christianorum fovens ac promovens, altiorem consiliorum et virginitatis viam quam ingrederentur, illis aperuit.

Quum autem Porphyrii impietas in Christum ipsum grassaretur errorisque venenum occulte serperet, non potuit acerrimus ille religionis defensor quin Porphyrium pluribus libris lacesseret, et Origenem etiam carperet atque refelleret. Primus igitur omnium in certamen venit Methodius, quem postea sunt secuti Eusebius et Apollinaris. Ejus opus, veteribus maxime celebratum, si Hieronymo credimus, *ad decem millia versuum processerat* (2).

(1) Lib. II, c. xvi.

(2) Verba illa nonnullis scriptoribus ansam turpiter errandi præbuerunt : inde enim poetam fuisse Methodium concludere voluerunt. Vide fragmenta apud Jahnum, p. 102-105.

Origenes, Alexandrinæ ecclesiæ et lumen et decus, magnam primum admirationem apud omnes habuerat : tanta eum scientia, tantus ardor in tuenda fide christiana commendabat ! Methodius, qui summo in omni re zelo semper uteretur, magno cultu Origenem juvenis est persecutus. Quum autem ille in plures errores incidisset a Platonis fontibus derivatos, de creatione et de resurrectione, Methodius multum est animo immutatus. Timebat enim studiosissimus ille fidei integræ custos, ne tanti viri auctoritate et eloquentia plurimi attraherentur, et multum inde detrimenti in christianam religionem redundaret. Quæ enim Plato de anima in corpore velut in carcere inclusa, et per mortem aliquando, ut ex ergastulo liberata, poeticis coloribus expresserat, ea fidei orthodoxæ parum congruunt.

Origenem igitur vehementer aggressus est Methodius, et tam acriter coarguit, ut centaurum eum vocaverit ; libros *de Resurrectione* et *de Creatis* in lucem edidit quos doctore et erudito et audaci opponeret. Methodius enim, si quis aut religionem lacesseret, aut a recta fide deficeret, ut Valentiniani, stylum stringere, dogmata christiana statuere et ab omni errore vindicare ; ut minime mirum fuerit, tantum virum qui tam sæpe hereticos repulisset, et præstantem Ecclesiæ doctorem a suis habitum et martyrii palmam a paganis meritum fuisse.

Recte igitur Martyrologium romanum ad 14 Kal. Octobris hæc habet : Natalis sancti Methodii, Olympi Lyciæ ac postea Tyri episcopi, sermonis nitore ac doctrina clarissimi, qui ad extremum novissimæ persecutionis, ut scribit S. Hieronymus, in Chalceide Græciæ martyrio coronatus est.

« *Chalcide Græciæ.* » Hæc verba aliquid faciunt difficultatis. Parum enim verisimile videtur Asiæ episcopum in Græcia martyrio fuisse affectum. Attamen Methodium nostrum inter Illyriæ et Græciæ patres adscribit Joannes Antiochenus. Fabricius autem posuit *in Chalcide Syriæ*; unde vero id hauserit minime declarat, forte in Suida qui, quum dixisset Chalcide Orientis (sic enim verti debet *ἀνατολής*), non magis Græciam expressit quam Syriam. Imo Chalcidem, Syriæ urbem præcipuam, omnia adjuncta subindicant (1).

Gloriæ commendari visum est Methodii nomen : nam Methodium martyrem et episcopum consequitur Methodius alter, patriarcha, doctrina et martyrio fere par. « Ab Iconomachis enim aliisque qui ejus mores sanctissimos ferre non poterant, et cruciatus acerbissimos, et carceres atrocissimos et manifestas calumnias pro pietate defendenda pertulit (2). » Patria syracusanus a Leone III, Romano Pontifice, Constantinopolim legatus mittitur, nam « magnus veritatis confessor et pietatis fundamentum inconcussus fuit (3). »

Concilium convocavit ut imaginum cultum restitueret; encomia et sancti Dionysii Areopagitæ et sanctæ Agathæ scripsit. Quæ Patarensi Methodio fuerunt attributæ revelationes de rebus quæ ab initio mundi contigerunt et contingere debent, melius Methodio illi confessori assignes.

Duo vel tres alii Methodii raptim recensendi sunt : Methodius grammaticus scilicet, qui sæpe laudatur

(1) Allatius, p. 360.

(2) Joannes Ephesius, *Tract. de Schismate.*

(3) Vide Allatium, p. 363.

in Etymologico a Varino Veronensi edito; quæ vero scripserit, vel quo tempore fere ignoratur.

Est et alius Methodius qui prolixam satis historiam scripsit de miraculis sancti Nicolai.

Inter Methodios referendus etiam est Methodius, presbyter Hierosolymitanus, cui tribuitur oratio illa ex codice Vaticano : in occursum Domini et in Deparam, et Annam, et Simeonem. Eadem autem oratio Timotheo sæpe adscribitur.

De Methodio, monacho Græco eodemque pictore, paulo fusius loquendum. Qui quidem, quum pictura excelleret, tam vivide ultimum iudicium expressit, ut Bogaridem, Bulgarum regem, ad veram fidem adduxerit (853). Una cum sancto Cyrillo Evangelium Moravos inter et Slavos diffudit. Litterarum slavonicarum ordinem ab ipso inventum volunt Borussi, ab ipso versas Scripturas quibus adhuc utuntur. Nonus Martii dies est ei sacer. Eum ipsum Methodium fuisse putaverim ego, qui Græcos, cum ab Ecclesia latina dissiderent, componere statuerit. Tractatum enim de hac re concinnavit cui titulus : *Sylloges compendiosa librorum, auctoritate munita, non debere populos sejungi a suis præsulibus dum illi de fide recte sentiunt, licet aliqua criminosa circumstantia eorum ordinatio successerit* (1).

Diu multumque variis de rebus scripsit sanctus Methodius. Etsi enim unum nobis opus injuria temporum transmisit integrum, quantum librorum corpus confecerit egregius ille doctor, ex eis quæ supersunt fragmentis, possis ipse suspicari.

1° Ut ab homiliis incipiatur, mentionem facit

(1) *Ibid.*, p. 384.

Theodoretus Methodiani sermonis *de Martyribus*, ut videre est in *Pætrologia græca* (1). Excerpta tria *de Cruce et Passione Christi* in eadem bibliotheca collecta sunt quæ antea, et apud Gretserum (2) et apud Allatium (3) dispersa jacebant et subobscura. Exstant vero sermones duo integri *de Simeone et Anna*, et *de Ramis Palmarum*. In priori magnos spiritus et altissimam Sacræ Scripturæ scientiam jure admireris.

Licet nonnulla verba dubitationem aliquam injece-
rint, ex stylo, sentiis, ipsoque exordio sermonis,
videntur conciones illæ Methodio tribuendæ. « Quæ de
virginitate dicenda erant, in *Symposiacis de Castitate*,
abunde explicavimus (4). »

2° Multis variisque scriptis Origenem aggressus est.

a) *De Pythonissa*. Perit.

b) *De Creatis*, sic ex Photio (5), licet hunc libri titulum veteres non prodierint.

Origenem facit asserentem mundum universum sapienti Deo coæternum, eique se respondentem. Quos quidem audire alterno sermone utentes non alienum sit a nostro proposito.

« Cum non sit opifex sine opificio, aiebat Origenes, nec Creator sine creatura, neque universalis Dominus sine subjecta universalitate : necesse est enim opifex ab opificio, creator a creatura, universalis Dominus ab universitate subjecta nominetur : necessario inde sequitur, ut hæc Deus a principio creaverit, nec sit ullum tempus quo illa non fuerint. Si fuit enim tempus, quo creaturæ nondum

(1) Migne, t. XVIII, p. 346.

(2) *Ibid.*, t. I, *de Cruce*, lib. II, c. xxxix.

(3) *Diatriba*, p. 349.

(4) *De Simeone et Anna*. n. 1.

(5) *Biblioth.*, Cod. 235.

erant, cum, creaturis non existentibus, neque etiam sit Creator, vide quid impietatis inde sequatur. Quin adulterari mutarique continget immutabilem Deum atque immobilem. Si enim postea creavit universum, sane a non creando mutatus transivit ad creandum. Illud autem ex prædictis absurdum. Non ergo dici potest non esse ab æterno rerum universitatem, ac Deo coæternam.

« Ad quem sanctus (Methodius) ex alterius personâ interrogans : Nonne Deum, principium existimas, fontemque sapientiæ ac gloriæ, uno verbo, virtutis universæ, substantialiter et non alieno fonte. Sane, inquit, quid vero præterea ? Nonne omnino a se perfectus est ac rei nullius indigens ? — Ita. — Impossibile est enim eum qui nullius rei indigeat, ab alio hanc virtutem tenere. Quidquid enim ab alio plenum est et perfectum, ipsum quoque imperfectum dici necesse est. Solum siquidem, quod ipsum a se, sui ipsius plenitudo est manetque in se ipso, perfectum censendum est. — Verissime censes. Num vero quod neque a se, neque sui ipsius plenitudo est, nullius rei indigum dixeris ? — Minime vero. — Deus ergo num ab alio perfectus æstimabitur ? Nam quod perfectum est ab alio, nonne ipsum per se necessario imperfectum est ? — Ita est. — Deus ergo a se, non ab alio perfectus judicabitur ? — Rectissime. — Nonne aliud est Deus a mundo, aliudque mundus a Deo ? — Omnino. — Num igitur Deus propter mundum et perfectus, et opifex, et universalis Dominus dicendus ? — Nequaquam, ne propter mundum, præsertim mutabilem, non ipse a se, per se perfectus inveniatur. — Congruè vero. — Quamobrem dives nonne propter divitias dives appellandus est ? — Recte. — Quid vero sapiens, nonne substantialis illius sapientiæ participatio non existens ipse sapientia, sapiens nuncupatur ? — Ita sane. — An ergo et Deus, qui sit aliud a mundo, ea ratione et dives propter mundum, et beneficus, et opifex vocandus fuerit ? — Nequaquam, apage. Ipse igitur suæ divitiæ est, atque a se ipso dives est et potens. — Ita videtur. — Eratne etiam ante mundi moli-

tionem nullius indigens, velut qui pater, et Dominus universalis, opifexque esset, adeo ut a se, non ab alio sint omnia hæc? — Necessè est. — Nam si a mundo, non ipse a se, qui sit alius a mundo, intelligeretur Dominus universorum (pace tua, Deus, cogor sic loqui) ipse per se esset imperfectus, iisque indigeret, a quibus Dominus universalis auctorque mirabili ratione esset. Est ergo perniciosus ille error rejiciendus, dicentium in Deum, non ipsum a se, sed a subjectis rebus et creatis, quæ sunt mutationi obnoxie, universalem Deum ac creatorem esse (1). »

Longiorem hunc locum intercipere nolui, ut plane appareret quomodo et rem suam statuat sanctus Doctor, et, si quid ab adversariis objicitur, explanet. Doctrinam nitide proponit et explicat, disputat acriter nec sine acumine refutat.

c) *De Resurrectione* opus conscripsit Methodius *egregium* (2). Quod quidem, si integrum nobis supresset, *vel convivio decem Virginum*, jure anteponas: adeo rebus novis eximiisque sententiis floret: « corpus hominum sinistra opinione animæ vinculum nuncupari, terram hanc minime olim ad nihilum redactum, sed potius ex incendio eam conflagrante instauratum iri. »

Pereat oportet corpus nostrum non injusta morte destructum, ut pereat peccatum intimis illius fibris immixtum: secus enim illud, aiebat Methodius, immortalis in corpore pullulasset immortalis. Ut enim in magnifica templi structura adolescens caprificus multiplicia radicum brachia hinc et inde diffundit per omnes lapidum compages, nec prius excrescere desinit,

(1) Ex libro *de Creatis*, c. II.

(2) Saint Jérôme l'appelle *une excellente pièce*, dit Tillemont.

quam disjectis lapidibus ipsa penitus avulsa concidat; templum vero, restitulis suo loco lapidibus, et ipsum integre restituetur : — sic summus ille artifex, Deus, templum suum, hominem diruet affligetque : peccatum enim, caprifici cujusdam instar, in penetralia sua admisit homo. Mortificetur ergo necesse est caro peccati, ut profligato prorsusque mortuo peccato, immortalis jam homo, utpote omnis labis expers, resurgat.

Aliis exemplis jam utetur Methodius, ut sententiam suam in optima luce collocet et ad virum depingat : quorum unum et alterum referre non piget. Statuam auream egregia elegancia quum conflasset peritissimus artifex, inimicus nescio quis, qui tantæ pulchritudini invideret, statuam illam turpiter sœdavit pluribusque maculis conspersit. Quid aget igitur artifex ? Igni statuam admovebit et arte fabrili retractabit, vel si velit, quidquid est turpitudinis ac vitii admissum, auferre, novam animo statuam effingat oportet atque confluet. Tum vero purum, illæsum intactumque apparebit simulacrum. Idem igitur fecisse mihi videtur Deus. Cum enim hominem, elegantissimum opus suum, invidiæ artibus perspiceret male habitum, eum in materiam dissolvit, ne dedecore afficeretur æterno. Dissolutum vero morte corpus in pristinum nitorem restituetur immortalique splendore resurget indutum.

3^o Meminit Hieronymus *Commentariorum in Genesin*, quorum fragmenta nonnulla in catenis adhuc inveniuntur.

4^o *Commentaria in Canticum Canticorum*, e quibus nihil exstat. Alia quoque id genus eidem Methodio tribuuntur. « In bibliotheca Barberina sunt Methodii episcopi et patarensis nonnullæ expositiones in catenis in Genesin Cod. 185, in Psalmos Cod. 4, in Canti-

cum Abacuc prophetæ Cod. eodem, quemadmodum et in Catenis novi et veteris fæderis (1). »

5° De *Autexusio, de libero arbitrio et unde mala*, adversus Valentinianos. Agitur hic de vexata mali origine. Tribus laciniis constat dialogus ille. Valentinianos duos refellit Orthodoxus quidam, malum ostendens ex alia causa non venire, nisi ex libera hominis voluntate quæ Deo non obediat.

6° *Adversus Porphyrium libri* qui ad decem millia usque versuum processerunt. Porphyrius enim quum animo satis infesto adversus christianam religionem scripsisset, primus Methodius, ante etiam Apollinarem et Eusebium, *nitidi compositique sermonis confecit libros*, teste Hieronymo qui alibi affirmat « *hunc fortissime respondisse Porphyrio*. Exstant paucissima tantum lacinia.

7° *Convivium decem Virginum* ad formam dialogi. Nihil hic de illo : agitur enim de isto in toto libello nostro.

De Revelationibus sancto Methodio attributis scribere supervacaneum est. Fraudem enim ita sapiunt, ut Benedicto Pererio *in commentario et disputationibus in Genesin* (2) assentiamur : « Non sum inscius multas olim hujus Methodii nomine revelationes et vaticinia vulgo recitata et celebrata esse :... sed ea profecto talia sunt, ut mendaciter fuisse conficta falsoque attributa sanctissimo illi viro et clarissimo martyri minime ambigendum sit. » Attamen quinque vel sex editiones et Parisiis et Balæ in primis datæ sunt.

(1) Allat., *Diatr.*, p. 357.

(2) Cap. xvi, 8.

CAPUT SECUNDUM

CONVIVII PRIMA PARS. DE VIRGINITATE APUD ANTIQUOS ET PRIMIS ECCLESIE TEMPORIBUS.

§ 1. — Operis initium.

Cui non placent arridentque ingressus illi Platonis adeo poetici et venusti, qui, veluti atria quædam splendida vel propylea ad regiam domum aut ad templum magnificum nos ducunt? Sive enim narrat Plato, sive colloquentes personas facit, rem ita vividis coloribus depingit oculisque subjicit, ut eam cernere te putes. Personis enim aut inducendis, aut interpellandis tam belle utitur, ut in medias res audientes nos rapiat. Locorum vero descriptione omnino delectamur. Altissimam enim illam in Phædro platanum, locum colloquii floridum, canorumque cicadarum chorum subresonantem nemo non jucundissime sentit. Quam libens igitur platonice elegantie æmulus, Cicero, Athenis morabatur, Academiamque repetebat « *ubi hortuli illi vicini ipsum videbantur Platonem in ejus conspectu ponere.* » De philosophia scribens, aut cum amicis producens sermones, vel ante Platonis statuam considebat, vel sub platano, quæ platanum illam referebat quæ ipsi videbatur, ut ait, « *non tam*

ipsa aquila quæ describitur quam Platonis oratione crevisse (1). »

Assideamus et nos, non jam sub platano, sed ad agnum castum, cujus umbra et nos et sacras virgines opacabit. Methodius enim, quum Platonis Symposium suo decem Virginum Convivio et imitari vellet et refellere, ingenio suo nonnihil indulisit. Nitido igitur exordio usus est libellumque suum aliquo aspersit lepore. Eubulius enim (sit illud fœminæ nomen an viri, nihil ad rem) a Gregorio petit ut illa sibi narret quos de castitate sermones in convivio habuerint Marcella aliæque virgines. Narrat Theopatra (nam ut in Platonis convivio res narratur simul et agitur) formosam quamdam gravemque matronam, *Areten* nomine, *Philosophiæ filiam*, stola splendidissima, niveo plane colore indutam, virginibus occurrisse, easque blande exceptas in convivium adduxisse, ubi Theclam, Agatham, Marcellamque jam accinctas offendissent : « *O Filix, inquit, in pratum incorruptionis tandem advenistis, reptilium passæ terrores et viarum abruptarum. Venite et vos, ut hic ordine cum vobis studii morumque sodalibus discumbatis.* »

Locus plane biblicus et allegoriæ plenus, et sacræ virgines, decem numero, et quæ eas inducit matrona, et convivium ipsum ad Evangelii disciplinam non alludunt inepte. Quam convenienter autem, quam recte virgines Theclam, Agatham et Marcellam in cœlum admittit, quæ jam agone perfunctæ essent, et in sponsi thalamum, vel ejus paradisum, receptæ. Quod vero omnium Christi virginum pri-

(1) *De Oratore*, I, 7. Theologus et Plato christianus, Nazianzenus, platanum suis ipsius manibus insitam in Basilii monasterio jucundissime recordabatur.

mam Marcellam facit et omnibus tum ætate, tum castitate præstantem, indicio est consuluisse Methodium christianæ traditioni. Marcella enim, si traditioni cuidam fides est adhibenda, ea ipsa mulier fuit quæ Christo dixit : « *Beatus venter qui te portavit et ubera quæ sucristi* (1). » Marthæ deinde pedissequa fuit ac cum ea in virginitate consenuit, uti videre est apud Baronium. Obiter et perpaucis moneamus hic, dum vacat, plures scriptores classicos in pingenda Arete sua imitatum fuisse Methodium, Xenophontem in primis atque Silium Italicum.

Celsa humeros niveæ fulgebat stamine pallæ.

Incorruptionis campum, et modo, prata semper viridantia. Has aliasque Platonis metaphoras libentissime usurpat sanctus Pater sensu sæpe magnifico et prorsus novo; fuerunt quoque, ut sciunt, Alighierio perfamiliares. Triginta et unum locos mutuatus est Methodius, imprimis ex Symposio et Politico, nec non ex Xenophonte.

« Locus erat incredibiliter amœnus plurimæque plenus voluptatis. Levis per eum aer mollissime diffundebatur, puræ lucis radiis suavissime temperatus. Vivus in medio scaturiebat fons, lenissimo fluxu oleum imitans, dulcissimus ad potum; unde liquor pellucidus et pure in rivos divisus passim errantibus venis, universum hortum irrigabat. Arbores vero variæ recentibus fructibus ad id abundabant ut ad ornatum tantum penderent. Prata autem semper florida variis et suave spirantibus floribus constrata, per quos lenis aura commeans, jucundissimum odorem spargebat. Stabat vero prope agnus, arbor excelsa sub qua, ramis largam umbram ministrantibus consedimus. »

(1) *Luc*, XI, 27.

Ipsæ nos locus invitât et allicit. Audiamus igitur, referente Gregorio, quid et quomodo decem virgines inter se loquantur. Illud vero lectores jam præmonendum, minime convenire Methodium cum Platone, sed toto cœlo utrumque differre tum in materia, tum in modo tractandi. Plato enim, solers et ingeniosus ut erat, fere semper gradationi consulit, et a minus perfecta ad perfectam procedit. A Phædro enim et Pausania ad Agathonem et Diotimam in Convivio loquentes, intervallum inest immensum. Methodius autem (nescio an res integra ipsi jam fuerit et libera) a rebus vel optimis incipere debuit, ut audientes caperet atque delectaret. Adde quod Platoni opibus referus quas assidue legendo erat suffragatus, ut *apes operi sedula* (sua ipsi verba non immerito transferam), eas adhibere præoccupavit. Incipit igitur Marcella, natu maxima, sapientiæ corona jam ornata. Illa nobis luculenter exponit Virginitatis et altitudinem et excellentiam, historiamque ejus apud Judæos refert. Matrimonii vero sanctitas a Theophila vindicatur quæ, si qui sunt abusus, eos ad conjuges pravos, non ad Deum referendos lepide docet. Quum autem difficultatis aliquid inter utramque personam subortum fuisset, suas tum matrimonio, tum castitati leges, sua jura definit Thalia et constituit. Tres igitur orationes illas diligenter consideremus.

§ 2. — De Virginitate.

Quam magna res sit Virginitas, quam laudem admirationemque habeat, inde perspicitur quod sacræ eam Scripturæ incorruptionis fontem, florem ac primitias sæpe vocent. Rara in primis arduaque

hominibus castitas illa, quippe quæ innumeris periculis obsideatur et insidiis. Fortes igitur et generosos animos requirit qui, despecta omni voluptate, in sublime dirigant mentis vehiculum, *donec in convexo cælo constituti*, quæ ab immaculato Dei sinu exilit, incorruptionem ipsam contemplantur. Hoc vero virginitatis nectar non germinat terra, unum cælum id elicit. Nec corpora solum servanda sunt incorrupta. Uti enim *non templorum quam statuarum major habenda est ratio*; sic omni ope nobis enitendum ut *animæ, statux illæ corporum*, justitia et virtutibus exornentur.

Platonem belle hic æmulatum fuisse Methodium quis non videat et confiteatur? Essentias enim ipsas contemplantur animæ quæ Deos fuerint secutæ. Qui autem mundum supergressi, a proposita animo virtute non recesserint, ii virginitatem ipsam ex ipso Dei sinu procedentem intuentur. Plato ἀγάλματα nuncupavit rerum divinarum virtutisque species Socratis animo impressas. Eodem verbo usus est Methodius, ut animas corporum tanquam templorum *simulacra* esse significaret: impressa est enim in mente hominum species divinæ naturæ « *Signatum est super nos lumen vultus tui*, ait Psalmista. A Platone quoque hoc et alia sexcenta mutuatus est præstantissimus ille et dicendi et scribendi magister, Tullius (1): « *Qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum Sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit.* » Sed ad nos redeamus, pergamusque vestigiis Methodium sequi: ipse enim nos docebit et quomodo alatur virginitas, et quo tempore excoli in terris cœpta fuerit.

(1) *De leg.*, I, 22.

Audiendo divino sermone sacrisque Scripturis assidue volvendis alitur virginitas atque augetur. Ut enim carnis tabes sale absumitur, sic corporeæ virginum libidines severa illa disciplina cohibentur et astringuntur. Ex eo quod defecerat ille piæ meditationis sal, effrœna cupiditate abreptus David adulterii sordibus sese illevit: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ* (1). Quod si a generis humani principio nec detecta fuit divina illa planta, nec hominibus ad cultum proposita, nihil inde adversus eam concludendum. Ea enim fuit Dei mens et voluntas, ut prius multitudine genus humanum cresceret atque perficeretur, quam optima vivendi forma ipsis proponeretur. Optimum enim patrem egit Deus: qui quidem nascenti mundo, ut puerulo cuidam, aliquid temporis impertivit ut luderet atque lasciviret, donec meliori puriorique disciplina instrueretur. De virginitate enim primis temporibus nihil prorsus actum. Plures imo conjuges homini cuique fuerunt a Deo permissæ. Nam quum nondum frequens habitaretur orbis, propagandi primum fuerunt homines, *paulatim deinde et quasi per gradus ad virginitatem promovendi. Eos igitur a pluribus uxoribus ad unam adduxit Deus; castitatem deinde excultam voluit, ut ad virginitatem homines, tanquam tutissimum in portum, possint tandem pervenire.*

Quantum per virginitatem profecerit humanum genus, hac pagina quam de verbo fere ad verbum recitavimus, argute significatur. Triplicem enim statum instituit Methodius, polygamix scilicet, matrimonii et virginitatis. Nam, procedente tempore, mores cum religione ipsa paulatim perfecti sunt. In primo enim

(1) Ps. xxxvii, 6.

statu omnes habenæ libidini permittuntur, nec uxores quidquam juris habent, nec matrimonium sanctitatis aliquid retinet, nec ulla virginitati ipsi gratia tribuitur. Sub prophetarum tempus, pluribus uxoribus uti jam non licet, conjugii que nodus et astrictior habetur et sanctor. Virginitatem denique, quæ nos mente et corpore purificatos magis magisque cœlo admoveret, christiana religio adduxit.

Nec cœlo tantum homines admovit virginitas, sed nova prorsus inauditaque libertate uxores et puellas etiam ornavit atque, ut ita dicam, dotavit. Quæ enim antea nec libera, nec sui juris erat mulier, sed quasi res aut serva patris et mariti, virginitati se jam libere addixit. Nec ea res ipsi quidquam detrimenti attulit, sed admirationem nescio quam et venerationem. Summo enim honore virgines a primis temporibus christiana religio prosecuta est : illas omnibus proposuit quas colerent atque imitarentur (1) : nam qui

(1) « La doctrine de la virginité a décidé dans le monde une grande révolution sociale : elle a émancipé les femmes, elle leur a donné dans l'Europe chrétienne le rang et l'état qu'elles tiennent ; elle a fait le mariage tout ce qu'il est aujourd'hui, c'est-à-dire un état d'égalité, au lieu d'un état de dépendance et presque d'esclavage, comme il l'était dans les mœurs grecques et romaines.

« Dans l'antiquité, en effet, la femme ne pouvait traiter d'égal à égal avec l'homme : où l'homme libre aurait-il pu apprendre à regarder la femme comme son égale, puisque nulle part elle n'était libre, puisque partout où il la voyait, jeune fille ou épouse, il la voyait dépendante ? En faisant du nom et de l'état de vierge une condition nouvelle pour les femmes, le christianisme changea tout : car, du moment qu'il y eut pour les femmes un genre de vie indépendant et libre, du moment qu'elles purent avoir rang dans la société chrétienne, et ne plus relever que d'elles-mêmes, elles purent traiter de pair avec les hommes ; et

virginitatem maxime colunt, ii maxime se devovent.

Quam nova, quam alta, quam mulieribus accommodata sit illa disciplina, nemo non videt. Virginitatem nullus prophetarum aut laudibus extulit, aut (si Eliam Elisæumque et perpaucos excipias) sibi servandam suscepit. Soli nimirum Domino sancienda hæc servabatur, qui solus ad nos e cælo demissus, homines ad id instruxit ut in Deum redirent. Quid igitur Dominus, veritas ipsa et lumen, egit? Incorrupta in virginitate carne usus est. Virginitatem et nos summo studio colamus, si quam in nobis et Dei et Christi similitudinem referre volumus. Qua quidem similitudine nihil gloriosius, nihil rarius. Quum enim summam multitudinem ex omni tribu et lingua et ex omni natione dinumerare non possis, virgines ad centum quadraginta quatuor millia tantum ascribuntur, quæ canticum Christo canant novum, Agnumque, quocumque ierit, sequantur.

Hæc fere Marcellæ oratio. Cui quidem si longius insistendum putavi quam voluissem, id attribuito præstanti illi doctrinæ de virginitate qua penitus imbui nos erat necesse.

Ante Christum enim inculta jacebat virginitas, nomine tantum cognita. Primis enim temporibus, ut jam diximus, propagaretur genus humanum necesse fuit. Apud Judæos vero hæc etiam propria causa supererat, quod quæque gens fore sperabat ut e stirpe sua Christus nasceretur. Itaque nullus fere Judæorum

cette doctrine de la virginité, qui semblait funeste au mariage, fit sa force et sa grandeur nouvelle : dès ce moment ce fut une alliance entre égaux *.

* Saint Marc-Girardin, *De la Virginité* (Essais, t. II, c. iv).

virginitatem servavit : inurebat enim nescio quid dedecoris sterilitas. Vide quo dolore virginitatem suam in montibus lugeat filia Jephthe, ad immaturam mortem voto patris addicta. Vide quomodo mœrore affecta Anna, quod infœcundam se sentit et minimi fit a conjuge, sub lauro quadam sedens, hanc ad Deum querelam effundat:

« Deus patrum meorum, benedic mihi et exaudi orationem meam, ut benedixisti vulvæ Saræ et dedisti ei filium Isaac. »

Et levatis oculis in cœlum, in lauro vidit nidum passeris, et ejulavit in se ipsa dicens :

« Hei mihi ! quis me genuit ? quæ matrix me peperit, ut ita in conspectu filiorum Israel maledicta nascerer ? Exprobrant enim me et subsannant in templo Dei mei.

« Hei mihi ! cui comparabo me ? Comparanda non sum volucris cœli, nam cœli volucres fecundi sunt in conspectu tuo, Domine.

« Hei mihi ! cui comparabo me ? Comparanda non sum animalibus terræ, etenim animalia terræ fecunda sunt in conspectu tuo, Domine.

« Hei mihi ! cui comparabo me ? Comparanda non sum cum aquis, nam et aquæ ipsæ fecundæ sunt in conspectu tuo, Domine.

« Hei mihi ! cui comparabo me ? Comparanda non sum ego terræ illi : terra enim et ipsa fert fructus suos suo tempore, et benedicit tibi, Domine (1). »

Et ecce angelus Domini advolavit, dicens ei : « Anna, Deus exaudivit orationem tuam : concipies et paries. »

Qua quidem querela nihil dulcius, flebilis nihil esse potest. Quanti fieret fecunditas, illa satis ostendit. Quibus autem gaudiis, qua lætitia exultat Anna illa

(1) Vide Evangelia apocrypha. S. Jacobi Majoris, I^a p.

nostra, quum infamia levatam se duodecim tribubus prædicat!

Quod si ad paganos inde transibimus, virginitatem nec superbiae fumo, nec nube voluptatum obscuratam inveniemus.

Corpori enim præstare mentem et debere dominari, apud antiquos acceptum fuit. Hic virginitas, etiam dominante libidine, propria et sua luce effulsit. Ut enim pagani homines sua diis vitia transtulerunt, sua flagitia in Olympo etiam collocarunt, sic in cælo posuerunt virginitatem. Casta enim Minerva, casta Diana, sua Vestæ, Astrææ, Musis Gratiisque virginitas. Quod si poetæ aliquid de illis detraxerunt, aut purum nitidumque earum colorem obscuraverunt, hoc tamen satis animadverti non potest, sapientiæ Deam, justitiæ, artium atque scientiarum virginem fuisse. Rem nullam optimam esse potuisse dixeris, nisi virginitati sociata fuerit et quasi condita. Hinc Vestales virgines tantis honoribus consules ipsi prosequabantur, ut ante illas fasces submitterent. Hinc Druidæ virgines apud Gallos, et apud Americanos Solis virgines amplissimos honores et cultum, ut ita dicam, obtinuerunt : adeo populos vel paganos insederat persuasio in virginitate inesse nescio quid quod cælo ipsi nos commendaret et admoveret.

In extollenda virginitate tota Marcella, quum innuere visa esset imprudens liberis procreandis jam non consulendum, defendendi matrimonii provinciam suscipit Theophila. Ne orationum ordinem invertamus, Theophilæ sermonem paucis referemus.

Sublatas nullo modo nuptias, illata in mundum virginitate, et Sacræ Scripturæ, et bene cognita Christi mens et voluntas arbitrari minime sinunt : *Crescite et*

multiplicamini. Quomodo enim prohiberentur congressus nuptiales a quibus expectantur etiam post nos sancti et futuri martyres? Ut tabellæ egregiæ pictor manum admovet, novos colores, novos ductus hinc et inde applicat, sic Deus mundum novis quotidie creaturis formandis efficit atque absolvit : Pater meus usque modo operatur (1).

Interpellat hic Marcella : Creat igitur solus Deus ! Latere te offusa nube ne putes. Ex adulterio natos etiam Deus creat adulterii sordibus illitus !

Theophila vero velut robusti lacertis adversarii media correpta, vertigine tentata quadam est ; tum ægre resumpto spiritu :

« Nullam rem ex se ac per se ipsam malam esse existimandum est, sed per abutentium opera talem se habere. Honestæ, et castæ adhibita, honesta evadit ; turpiter vero et indecenter administrata, turpis fit. In quo enim male meruit ferrum propter agriculturam et artes inventum, de iis qui ad cœdes mutuas illud acuunt ? In quo aurum aut argentum, aut æs, et, ut verbo colligam, omnis materia atque metalla, dum se mollia præbent et tractabilia, de his qui ingratis in auctorem suum animis, in statuas variè distinctas efformatasque, hæc adoranda proponunt?... Neque quod furto ablatum est in crimen vocandum sit, quippe inanimum... Sic corruptores nuptiarum, et qui concinnæ, castæque vitæ, velut citharæ, temere chordas rumpunt, effrenos inflammatae cupiditatis æstus in adulteria laxantes, ipsi quidem cruciandi et puniendi sunt : nocent enim, ex alienis hortis inconcessos furando concubitus (2). »

Quomodo cooperetur Deus creandis hominibus etiam illegitime satis, quum vivide, tum ingeniose per

(1) *Joan.*, v, 17. *Orat.* II.

(2) 2^a *Orat.*, c. v.

allegoriam explicat Methodius. Castis licet coloribus, ita crudis tamen utitur Theophila virgo apud virgines ut vel medicum vel theologum audire te credas. Hujus sermonem ego referre non ausim. Non casu aut insciente Deo efformatur ab hominibus tunica hæc animæ corporea. Non est igitur quod matrimonium odio prosequantur homines, licet laude digna magis sit castitas : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit* (1). Florentissimo et maxime vario prato comparatur Ecclesia quam et virginitalis flores exornant, et conjugii fructus. Qua quidem varietate nihil pulchrius, nihil jucundius : *Asstitit regina a dextris (sponsi) in vestitu deaurato, circumdata varietate* (2).

Arte minime carent orationes illæ. Ut enim perfectiones alias omittam, variæ maxime sunt Marcella et Theopatra, quippe quæ in extremis versentur. Utraque autem suam rem ita egit, tanta sacrarum Litterarum auctoritate sententiam suam illustravit, ut forte nescias in quam partem inclines animum. Adesset igitur oportuit non dubia auctoritate doctor et magister, qui dubitationem omnem præcideret, statueret doctrinam, et quasi signum ad meliorem vitam hominibus proponendam tolleret. Exponit Thalia, et multis exponit et summa doctrinæ sublimitate, quæ pertinent ad statum naturæ, tum lapsæ, tum reparatæ ; virginitalis et matrimonii partes et leges definit. Audiatur ergo et magna quidem reverentia, nomine Thaliæ, gentium Apostolus qui terrarum orbem non tam cursibus suis quam ecclesiis condendis aut spargenda sacra doc-

(1) I Cor., VII, xxxviii.

(2) Ps. xliv, 10.

trina peragravit. Quum his verbis : *Crescite et multiplicamini*, abuterentur multi ad fovendam libidinem, quæ de Adamo et Eva memorantur, ea per allegoriam in Christum transfert Apostolus et in Ecclesiam. Illa enim Adami verba : *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea*, etc. (1) Paulus ad Christum confert, in hunc modum nos edocens : *Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam : quia membra sumus corporis ejus. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (2).

Quo vero melius ea in Christum transferret, Methodius, qui ad allegoriam jam propenderet, comparisonem instituit primum inter Adamum et secundum. Nonne uterque primogenitus omnis creaturæ? Uterque parens hominum in ordine vel naturæ, vel gratiæ? Ut igitur exstitit Adamus peccati fons et caput, sic exstat Christus incorruptionis et restitutæ integritatis. Per Adamum originis peccatum, vel potius quæ inde eveniunt damna in genus humanum fuerunt infusa; per Christum justitiæ fructus nobis inseruntur, si modo a capite membra non disjungimur. Lepide igitur ostendit Methodius quomodo Adamus angelis fere æqualis fuerit creatus, qua arte mirabili reparatus, quum ex tanto fastigio cecidisset.

« Ille par est et perfectus immortalium animalium numerus (angelorum) per cognationes tribusque divisorum,

(1) *Gen.*, II, 23, 24.

(2) *Ephes.*, v, 28-32.

aggregato tali gregi etiam homine. Nam et ipse *corruptionis exorsus creatus est, ut Regem universorum et Creatorem, altero velut choro, laudaret ac celebraret, dum angeli e caelo cantibus respondent* (1). »

Audiamus nunc quomodo Doctor noster egregium Jeremiæ locum de reparando homine fuerit commentatus. « Cum hominibus versaturus, in antiquissimo primoque hominum inhabitavit Christus (Adamo scilicet). Etenim ex Virgine et Spiritu ipsum reformans, eundem fabricatur, ut a principio, terra virgine nondum aratrum passa, ex accepto luto Deus præditum ratione animal sine semente formaverat. »

« Et descendi in domum figuli : et ecce ipse faciebat opus super lapides. Et cecidit vas quod ipse faciebat in suis manibus. Et rursus fecit vas illud alterum, sicut placuerat in conspectu suo facere (2). Deus enim adhuc ex luto, ut sic dicamus, formaretur Adamus, cum *mollis et udus esset, ac necdum testæ instar, immortalitate excoctus et duratus fuisset, peccato, guttæ instar, instillante ac defluente, dissolutus est. Quare eum rursus ab integro madefaciens, exque luto vas in honorem, eundem Deus formans, in virginali primum durans et compingens utero, simulque conjungens ac miscens Verbo, solidum infractumque in vitam eduxit, ne rursus inundantibus corporis fluxibus, contracta labe decideret* (3). »

Novo prorsus modo et allegorico explicatur boni pastoris parabola. Nonaginta novem enim Christus reliquit oves, Virtutes scilicet, et Principatus et Potestates, descendens ipse imperator et pastor, ad quæ-

(1) *Orat.*, III, c. vi.

(2) *Jerem.*, xviii, 3-4.

(3) *Orat.*, c. v.

rendam ovem (hominem) quæ perierat. Congruum enim erat vinci diabolum ab homine ipso quem devicerat « *ut, sicut prius in Adam omnes moriebantur, sic et in Christo rursus qui Adamum assumpsisset, omnes vivificarentur.* » Unde Apostolus ad Christum recta direxit quæ de Adamo dicta erant.

Sic enim maxime ex ossibus et ex carne ejus Ecclesiam exstitisse convenit : « *cujus scilicet gratia, relicto patre qui est in cœlis, descendit Verbum ut adhæreret uxori, et dormivit exstasim passionis, pro illa sponte moriens : Ut ipse sibi exhiberet Ecclesiam gloriosam et immaculatam, mundans eam lavacro* (1), ad spiritale beatumque semen suscipiendum quod seminat ipse insusurrans plantansque in mentis penetrabilibus. Concipit vero et format instar uxoris Ecclesia, ad generandam virtutem ac enutriendam. Sic impletur, ut decet, quod præceptum est : *Crescite et multiplicamini*; dum ipsa Ecclesia, per Verbi operationem et communionem, se ad nos etiam inclinantis et per passionis commemorationem exstasim facientis, in magnitudinem et decorem ac multitudinem augeatur... »

Inde videre est quomodo per incarnatum Christum atque passum reffectum fuerit humanum genus et reparatum. Illa vero renovatio in unoquoque nostrum et per nos fieri debet, ut quemadmodum Adamus, ita Christus quoque in nobis nascatur; inde videre quanti a nobis habenda sit Ecclesia, quippe quæ Verbo conjuncta divino, nos Virgo Mater Christo pariat. Habenda est igitur gratia virginitati magna, quæ, postquam nascentes nos signavit, in cœlo permanens sit æterna.

(1) *Ephes.*, v, 27.

Ad castitatem deinde cunctos provocans Paulus : *Bonum est, ait, homini mulierem non tangere* (1). Pro iis tamen qui voluptatem cohibere non possent, sapienter adjunxit : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat* (2). Jura deinde uxoris et viri constituit. Quod vero addit : « *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (3), caute subindicat se consilium tantum dedisse, matrimonium autem nullo modo imponere. Hæc Pauli mens magis etiam ex dictis sequentibus patet : *Dico autem innuptis et viduis : Bonum est illis si sic permenserint, sicut et ego. Quod si se non continent, nubant ; melius est enim nubere quam uri. Etsi priores longe partes continentia assignat, ex indulgentia tamen secundas nuptias permittit, velut si quis, die jejunii ægrotanti cuidam cibum offerat jubeatque, quia laborat ægitudine, gustare quæ apponantur.*

De virginitate autem, licet præceptum Domini non habeat, *consilium dat* Apostolus, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sit fidelis. Quam plurimos ergo virgines esse cuperet, ut nulla sollicitudine afficeremur, nisi quomodo Deo placeremus. Primas igitur Paulus tribuit virginitati. Qui autem carnem suam servare virginem non potest, si nuptias ineat, nec se furtivis cubilibus inquinat, bene et ipse faciet.

Ea est Divi Pauli disciplina, eæ virginitatis et matrimonii leges et jura. Hæc omnia summa gravitate et statuuntur et explicantur. Quæ enim Christus paucis subindicarat, ea Paulus evolvere, commentari atque confirmare. Dixerat enim Christus : « *Et sunt eu-*

(1) I Cor., VII, 1.

(2) *Ibid.*

(3) I Cor., VII, 6.

nuchi qui seipso castraverunt propter regnum cœlorum Qui potest capere, capiat (1). » Hic et sponte offerendum corpus monstrat, et finem tantæ rei propositum. Ne autem virginitatis sublimitatem omnibus accommodatam esse intelligatur, apte concluditur : *qui potest capere, capiat*. Plerosque homines enim transcendit virginitas.

Doctrinam illam de virginitate a primis Ecclesiæ sæculis usu receptam et florentem jam videmus. Eundem enim virginitati finem assignat sanctus Clemens Romanus, sanctitatem, non eam quidem otiosam, ut ita dicam, et sibi soli viventem, sed quæ aliorum utilitatibus sese impendat.

« Virginitatem amplecti meditaris, frater! aiebat Clemens. Num vero satis expendisti quantum laboris ac molestiæ secum inducat virginitas? Jugiter coram Deo ambulare debet, nec unquam ab ejus removenda est præsentia. Sollicita sit necesse est quæ ad Dominum pertinet, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu. An probe calles quantum splendens sit oportet virginitas, et huic tamen te devoves? Notane tibi ac perspecta via est quam tenere cupis?... Tune athleta tam fortis ac peritus, ut in agone conspici valeas legitime certans, Spiritus sancti virtute corroboratus, et hanc palæstram ingressus, gloriæ coronam sis adepturus? Num quæ te sors beata in cœlesti Jerusalem maneat, perpendisti?... grandi nempe operi grandis reservatur merces (2). »

Quod si nec monasticæ, nec cœnobialis vitæ indicium ullum hic habes, hoc epistolæ illius antiquitati attribuito. Primis enim christianæ religionis tem-

(1) *Matth.*, xix, 12.

(2) *I Epist.*, c. v.

poribus, virgines domi cum suis conversabantur, nec illas quidquam ab eis distinguebat, nisi purior graviorque vivendi ratio : rudes enim ignarosque docere, pauperes et invisere et consolari, aut orphanis, aut viduis aliquid opis afferre. Communem enim vitam persecutiones fere non permittebant. Quanquam virgines severa præscripta salutari vallo jam circumdabant atque tuebantur : nam ut modestioribus vestibus uterentur mandatum fuerat, et balnea vitarent quæ essent viris et mulieribus communia (1), etc.

Methodii vero tempore, cessantibus persecutionibus, aut ad finem vergentibus, vitam communem degisse videntur virgines, aut saltem habuisse vel tempora quædam, vel loca ubi colloquerentur seque invicem adhortarentur. Hunc deserti patribus morem fuisse sciunt omnes, nec dubium est eum in varias regiones inde emanasse.

Longissimam quidem, sed gravissimam illam materiam, paucis de Platone observandis absolvamus. Centies fere imitandum sibi Platonem assumpsisse Methodium in tribus primis orationibus omnes sane admirabuntur. Symposium, Phædrum, Politicum et Timæum præcipue in promptu habuit unde non parce hauriret. Egregia autem expressit de homine vel constituendo vel ad divinum exemplar reparando. Timæo enim non inepte alludens, Platonico mundi opifici pictorem substituit. Deum etiam, ubi sermo est de mundi gubernatione, vel de animæ creatione, pictori comparat. Deus pulchrum in anima nostra ad vivum depingit ζωγραφεῖν, humana autem natura in Christo reparanda hominem μεταζωγραφεῖν. Homines

(1) Cypriani *de habitu virg.*, V-XIX.

vero, imitatores Christi, ad divinum vitæ humanæ exemplar suam vitam conformare et quasi depingere jubentur, *ut tanquam in tabula divinum vitæ exemplar aspicientes, habeamus et nos quem imitemur auctorem* (1). Hæc et alia nonne nobis in memoriam revocant quæ II° Reipublicæ libro docet Plato, philosophos beatæ civitatis imaginem ad divinum exemplar, quod mente informatum teneant, delineare? Doleo autem quod minime illic ea apparent quæ summa voluptate apud Photium leguntur in excerptis ex Convivio « *insanabiliter se habere animæ plagas* (2). » Vitiis enim anima nostra tanquam stigmatibus notatur. Similia legisse me puto in Bossueto nostro, *âme cassée, brisée*; locum vero non habeo ad manum.

(1) Meth., I^a Orat. ad fin.

(2) Vide Phot., Cod. 237, p. 312.

CAPUT TERTIUM

CONVIVII ALTERA PARS.

§ 1.

Quum de virginitate et de matrimonio statuisset Methodius quid nobis ex fidei præceptis esset tenendum, sequentibus orationibus hinc et inde excurrit, omissoque velut littore tota vela ventis permittit. Spatiatur enim orator disertus scriptorque non inelegans in res quæ tum ad mores, tum ad sacras Scripturas commentandas pertinent. Etenim divinitus institutam et datam hominibus virginitatem, ut e vitis sese expediant, nove docet Theopatra : Thallusa autem contendit nullum esse donum aut majus, aut præstantius, quod a nobis Deo possit offerri. Castitatem vero tum in nova, tum in veteri Lege adumbratam aut expressam fuisse non acute minus quam docte et pie docemur. Egregiis enim allegoriis propositam sibi materiam evolvit et renovat; nam, ut ait ipse, « anagogicum quoque litterali sensum, velut alterum bigæ animal » conjungit. Præter obvium enim et naturalem sensum, allegoricum etiam et anagogicum sacræ Scripturæ induere possunt. Multiplicem illam interpretandi rationem expressis verbis admisit Methodius : « *Judæi res nostras prænuntiaverunt, nos vero cælestia prænuntiamus* (1). »

(1) *Orat. V, c. viii.*

Hoc in figuris contingebat illis, hominibus scilicet veteris Legis. Vetus Testamentum in pluribus locis Novum adumbrabat figurabatque, ut rei cujusdam aut facti prolata veritas altiore aliam magisque reconditam minime excluderet. Ut enim dicendi peritus orator figurata oratione ita possit uti, ut alium sensum capiat (quod in allegoriis fieri videmus), ita Judæis Moïses nihil præcepit quod ipsis quidem sit detrimento, intuenti autem et mentis legislatorem acute perspicienti, amplam alte meditandi silvam suppeditat. Iterum res quædam, vera licet et ad novam Legem pertinens, mundum huncce ita transcendere potest, ut ad cælum nos erigat æternæque vitæ veritatem quamdam exprimat. *Anagogica* illa dicetur.

In hoc sensu tum anagogico, tum allegorico, perlibenter versatur vividum Orientalium ingenium : hinc Nazianzeni, Basilii et Chrysostomi nescio quid jucunditatis traxerunt; hinc Methodius noster, qui domicilium et in Platone, et in Scripturis, in Canticis præcipue posuerat, poeticum nescio quid retinuit, quod mysticum forsitan nobis videatur, pium autem eruditumque lectorem capiat atque delectet. Sed hic facilis est abusus. Scripturas enim ad allegoricum et anagogicum sensum ita nonnunquam Origenes detorsit, ut naturalem et obvium destruxerit. Hæc præmittere non inutile duxi, cum toties sensus plane novos sacræ Scripturæ Methodius tribuerit. Mystice enim multa loca intellexit et interpretatus est. Hoc jam sequentibus orationibus præcipue nobis est considerandum.

Quid de hominibus meruerit virginitas, a Methodio jam exponetur. In castitate enim promptum paratumque remedium habemus in præsentis vitæ angustiis,

siquidem et nos illa in paradysum restituit, et depravatos in incorruptum statum reparat, et cum Deo ipso conciliat, novam viam ad vitam instruens. « Quare nos quoque pro modulo facultatis *purissime lucentem ac nobilissimam Christi stellam, castimoniam laudamus* (1). » Tum vero quæ nos opprimunt affliguntque libidines apprime depingit Methodius, Platonis vestigia premens in Timæo, castitatem deinde quæ nos recreat ac reficit, non inepte opponit.

« Postquam e paradiso ejectus fuit homo transgressionis reus, corruptionis fluctus multum est effusus. Qui quidem immensis vorticibus præceps actus, non solum foris quidquid incideret transversum agebat, sed et jam intus irrumpens, animas obruebat. Illæ autem ita continuo affectæ, surdæ jam et stupidæ abripi, nec naves suas jam gubernare, quia firmum nihil habent unde applicentur. Sensus enim animæ, si id expertis credimus, quum irruentibus foris libidinibus victi, inundantis intus dementiae fluctus impetum vimque exceperunt, a recto cursu statim deflectunt, tenebris obsiti ne tranquille modoque naturæ apto procedant. Quare misertus nostri Deus quod tam male haberemus, æque et ad tenendum nos et ad resurgendum impotentes, optimum e cælo eximieque clarum auxilium demisit, castitatem, ut ex illa religatis, navium instar, nostris corporibus, tranquillo frueremur a corruptione immunes in portum subducti, uti etiam Spiritus Sanctus testatur. Hoc enim habetur in psalmo centesimo tricesimo sexto, ubi animæ lætantes gratiarum actionis hymnum concinunt quæcumque hinc assumptæ et apprehensæ *cælum cum Christo percurrunt*, quod a terrenis corporeisque vorticibus minime abreptæ sunt (2). »

(1) Hic alludere videtur S. Doctor ad illud Euripidis. (*Troad.* 860) :
o pulchre splendens solis jubar ; ὦ καλλιφεγγὲς ἥλιου σέλας τόδε.

(2) *Orat.* IV Theopatræ, c. II.

Hujus loci lepos pellucido parum versionis velo obscuratur ac fere exstinguitur omnis. Qui quidem, si purus et integer appareret, nec sententiarum gravitate, nec metaphorarum dignitate Platone ipso indignus videretur. Animadvertas velim divinæ misericordiæ castitatis donum a Methodio referri. Sic pagani deorum in homines beneficia ab illorum misericordia repetere solebant. Dii enim apud Platonem laborantium hominum miserati, Musas eis dederunt (1). « Vichnou, l'Être Suprême, touché des maux qu'avaient à endurer les dieux et les hommes, en fut touché et voulut y remédier (2). » In describendis affectibus quibus anima lapsa subjecta fuit, totus fuit Methodius in imitando pulcherrima illa quæ Plato, in Timæo, de anima recens in corpus immersa docuit. Illæ similesque imagines magno apud Patres usu fuerunt. Nonne corporis sensuumque affectus in animam tanquam fluctus redundare docuerunt? humanam vero imbecillitatem voluptatesque quibus afficimur et affligimur, nonne maris et fluctuum imagine expresserunt?

Manu deinde capit Methodius psalmum illum quem puræ intactæque animæ Deo concinunt : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra* (3). « Organa vocant sua ipsarum corpora quæ e rudentibus suspenderunt, alligantes castimoniam ligno, ne rursus abreptæ, incontinentiæ fluxu trahi in transversum possent. Babylon enim quam *turbationem, seu confusionem* interpreteris, vitam hanc

(1) Plato, *de Leg.*, II.

(2) Dubois, *de la Théogonie des Brahmes*, p. 139.

(3) Ps. cxxxvi, 1, 2.

denotat aquis circumfluam : qua in media sedentes circumluimur, quamdiu in mundo hoc versamur, malitiæ fluminibus continue ingruentibus. Ideo enim pavidi sumus et ingemiscimus, atque ad Deum cum lacrymis clamamus, ne organa nostra, voluptatis fluctibus ab arbore castitatis avulsa, lapsa corruant. Ubique enim sacræ Litteræ virginitatis typo salicem assumunt » : *Justi quasi salices germinare dicuntur, juxta præterfluentes aquas* (1). Tum enim in amplam speciosamque altitudinem exurgit virginitatis frutex, quum justus, et cui ejus servandæ atque colendæ concessum munus, dulcissimis Christi fontibus irrigabitur, sapientia suffusus. « Si ergo flumina Babylonis fluxus voluptatis sunt, ut volunt sapientes, confundentes et turbantes animum, necesse est ut castitas salicibus designetur, ex qua suspendentes sursum trahimus libidinis organa vergentia deorsum mentemque degravantia. » Qui peccant diabolo canunt; qui insanis Evangelium accinunt, modulari etiam videntur canticum Domini in terra aliena. Canticum vero canunt in patria terra animæ illæ quæ *purissimum, intactum, pium, speciosum virginitatis decus induerunt ejusque luce splendescunt.*

Recte igitur Deus earum nobiles sensus et cogitata plurimi faciens, jurejurando pollicetur eximios se illis honores concessurum : *Si oblitus fuero tuî, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tuî, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ* (2). De Judææ oppidulo hic agi minime vult Methodius, sed de cœlesti et beata Jerusalem, de animarum cœtu

(1) *Is.*, XLIV, 4.

(2) *Ps.* CXXXVI, 5, 6.

quem a se primo ordine constitutum iri, in principio lætitiæ novorum sæculorum, Deus manifeste promisit.

Postquam dicendi finem fecit Theopatra, ab Arete jussa surrexit Tallusa atque ex sacris Libris ostendit virginitatem, si pura sit et intacta, maximum esse munus quod possis ipse Deo dare. Nam, ut ait Methodius, «vovet aliquis aurea argenteaque vasa in templi usum se consecraturum; hic fructuum, ille bonorum decimas a se offerendas, alius pinguissima quæque capita gregum et armentorum; non nemo suas omnes facultates Deo consecraturum, nec ideo magnum votum vovisse Domino ille dicatur, nisi seipsum Deo omnino dederit. Perfecta enim est illa Deo consecratio, eaque sola, quæ corpus et mentem Deo dedicet. Sacrorum deinde oratorum more, commentariis suis jam immiscet sanctus Doctor adhortationis aliquid quod ad mores instruendos pertineat. Cujus rei unum aut alterum exemplum in medium sunt afferenda.

Ut integram illibatamque serves castitatem, in memoriam tibi revocantur Moïsis præcepta: Vir sive mulier casta, *a sicera et vino temperabit* (1), quippe quæ ebrietatem inducentia, sana nos mente dejiciant.

Si os meum ad res quasdam aperuero, ad quasdam autem clausero: si verbi gratia aperiam enarrandis Scripturis, ut recta fide ac magnifice, quanta facultas est, Dei laudibus incumbat; claudam vero, ostio imposito ac custodia, ne inania loquatur: os meum castum est ac Deo consecratum. *Lingua mea calamus exstitit Sapientiæ organum. Scribit enim per illam clarissimis litteris, ex alta subtili-*

(1) Num., vi. 1. Orat. V, 4.

que Scripturarum vi mentem illustrans Spiritus sermo, Dominus, velæ sæculorum scriba.... Si et oculos assuefecero ne corporum formam concupiscant, nec turpibus spectaculis oblectari permisero, sed cœlestia jussero contueri, casti erunt oculus et Deo sacri. Si adversus obtreclationes murmuraque aures sepivero, sapientum sæpe terens limina, consecravi et aures Domino. Si manus a turpi et sordida nundinatione, ab avaritia, a percussione avertero, castæ sunt manus ac Deo dicatæ. Si facultatem gradiendi cohibuero, ne perversas incedat vias, pedes etiam consecravi, non ad fora. Quid jam restat, si et corde casta sim, omnes illius cogitationes Domino consecrans, nihil mali mente versem; nihil ex usu sæculi animo reputem; si penes me nec superbia, nec iracundia vim ullam obtineat; si legem Domini die ac nocte mediter. Hoc est *Magnam castificare castimoniam, eum qui magnum votum nuncupaverit.*

Hic, non docte minus quam acute variis veteris Legis præscriptis utitur Methodius, ut disciplinam suam illustret et tueatur. Interpretandis Scripturæ locis illis nescio quid inest leporis: qui quidem in sensus sæpe novos detorquentur et tam apte accommodantur, ut et litteratores delectent et theologos. sit illud exemplo. Jusserat Deus in Exodo, altaria sibi erigi duo, æreum unum, alterum autem inauratum super quod semper adoleret incensum in conspectu Domini. Prius equidem ære tectum, ait sanctus præsul, senatui septoque viduarum simile dixerim. *Dei enim spirans ara sunt, ad quam passim offeruntur vituli et decimæ et voluntariæ oblatæ, quæ in Domini sacrificium cedunt. Inauratum autem altare intus in Sanctis Sanctorum repositum, ad eas quæ in statu*

(1) Ps. XLIV, 2.

virginum sunt videtur referendum. Aurum enim duabus commendatur dotibus, tum quod *rubiginem non admittit, tum quod fulgore innato radiorum solis speciem prope refert* : aptum in utroque virginitatis symbolum, quæ nullas admittat sordes ac maculas, sed et Verbi semper luce resplendeat.

Quod si quis hæc et alia de Tabernaculorum festo mystica nimis inveniatur, meminerit illa cara et jucunda semper fuisse Orientalium ingeniis, quippe quæ nobis allegorias miserint ; meminerit explanationes omnino similes in Bossueto nostro reperiri. Sit hoc exemplo.

« Cette fête des Tabernacles était comme un mémorial éternel du long et pénible pèlerinage des enfants d'Israël allant à la terre promise, et tout ensemble représentait le pèlerinage des enfants de Dieu allant à leur céleste patrie. »

Hæc deinde subdit :

« *Briève explication de cette fête.* Nous lisons au Lévitique que parmi le grand nombre de victimes qu'on offrait à Dieu pendant le cours de cette solennité, on ne manquait pas de lui présenter tous les jours un sacrifice pour le péché. Par là que devons-nous apprendre, sinon que pendant le temps de notre voyage nous devons offrir tous les jours le sacrifice pour nos péchés (1) ? »

In egregia spiritusque plena oratione demonstrat Agatha virginitati jungendas et virtutes alias et bona opera. Hic non possumus quin egregiam Methodii artem admiremur. Etenim et animæ pulchræ et castitatis splendorem ab ea laudari facit quæ « *pul-*

(1) Sermon pour le mardi de la Passion. Exorde.

chritudinis et castitatis laude » fuit ipsa commendata. Nam Agatha illa martyrio et sanctitate sua in tota Sicilia celebris (1), Decio imperante, horribili morte Catanæ confecta est. Nobili loco nata, « cum pari pulchritudinis et castitatis laude » floreret, Quintianus, Siciliae prætor, ejus amore captus est. Illam autem nec blanditiis, nec minis, nec supplicio ad suam sententiam adducere potuit. « Nonne te pudet, inquit prætor, nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? Cui Agatha : Multo præstantior christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia. » Quum autem admotis candentibus laminis in equuleo torqueretur, mamillaque abscinderetur : « Crudelis tyranne, inquit Virgo, non te pudet amputare in femina quod ipse in matre suxisti. » Incredibili veneratione et cultu virgo illa fovetur nonis februarii apud Panormitanos et Catanenses qui eam suam civem esse dicunt. Non minus recte igitur quam pie has Agathæ preces ad Dominum tribuit Ecclesia : « Vidisti, Domine, et spectasti agonem meum, quomodo pugnavi in stadio ; sed quia nolui obedire mandatis principum, jussa sum in mamilla torqueri. »

Singulari enim forma signati in hunc mundum venimus omnes : quæ quidem ipsam Dei formam refert, nosque cum ratione præditos, tum immortales efficit. Integra vero et ab omni macula pura servatur pulchritudo illa nostra, cum *virginitate protecta exteriori corruptionis æstu infuscata non fuerit*,

(1) Hic agi de Agatha illa Siciliensi verisimile est. Nam nullam aliam vidi in Græcorum martyrologiis. Si res ita se haberet, indicio esset non dubio, Methodium, non regnante Decio, sed Domitiano, martyrio affectum fuisse.

sed ipsa in se ipsa permanens, ornata justitiæ compta, in sponsam Filio Dei accesserit, ut ipse insinuat, admonens oportere in nostris corporibus, velut in lampadibus, lumen castitatis accendi. Tum decem virginum parabolam illustri commentario evolvit atque exornat. Cujus pars aliqua saltem est nobis exponenda, quippe quæ methodianam interpretandi rationem et viam in bona luce sit ipsa collocatura. Hanc Thallusæ sententiam explicat, suam esse oculis virginitatem, suam auribus et linguæ, suam cuique sensui, ut quæ in inviolata fide hos virtutis fontes (sensus) servaverit, una licet, quinque virgines merito vocetur; quinque sensus enim castos exhibendo Christo, *ex eorum singulis velut lampas sanctitate effulget* (1).

« Quinque lucernarum lampas vere caro est, quam veluti facem gestans anima, Christo sponso astat in die resurrectionis, fulgurantem ex cunctis sensibus splendidam fidem magnifice ostendens, sicut ipse docuit dicens : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur* (2) ? terram scilicet nostra corpora appellans, in quibus vult celeriter accendi mobilem ignitamque doctrinæ suæ operationem. Olei autem symbolo sapientiam et justitiam designari intelligendum est. Has enim veluti imbres dum anima large suppeditat ac corpori affundit, alte sublata flamma, inextinguibile assurgit virtutis lumen, quo luceant coram hominibus opera bona, ut glorificetur Pater qui in cœlis est. Tale videlicet oleum et illi offerebant in Levitico, *oleum defœcatum, mundum, expressum ad lumen, ut ardeat lucerna extra velum ante Dominum* (3).

Accendenda lucerna illa usque mane, scilicet usque

(1) Τὴν δσιότητα λάμπουσα. *Orat.* VI Agathæ, c. III.

(2) *Luc.*, XII, 49.

(3) *Levit.*, XXIV., 2. *Orat.* VI, 3.

ad Christi adventum. Virginitatis enim et justitiæ Sole exorto, nihil jam lucerna sit opus. Large igitur sufficiamus *defæcatum oleum* bonorum operum, ne moram faciente Sponso, nostræ etiam lampades exstinguantur.

In hac explanatione non minus pietatis sensus quam ingenii acumen jure admireris. Pulchra enim, nitida, splendida se habent omnia. Cum Agathone, adolescente illo apud Platonem terso, compto atque concinno concertasse videtur Methodius, cujus elegantiam et suavitatem expressit omnem. Oratoria illa ad virgines adhortatione apte concludit.

« Hæc nostrorum, o pulchræ virgines, orgia mysteriorum (paganorum mysteria carpit quæ a communione virtutum toto cælo differant) ista præmia immaculorum castitatis certaminum. Verbo desponsa, æternam incorruptionis dotem, coronam ac divitias a Patre accipio, et in sæcula triumpho, splendidis et immarcessibilibus sapientiæ floribus coronata; cum Christo præmia largiente *in cælo choras duco*... Ite igitur, o novorum sæculorum nova ac florens virginum pubes; ite, *vasa vestra implete justitia*; jam enim hora est exsurgendi et in sponsi occursum eundi. Ite, vitæ blanditias et illecebras expedito pede prætergressæ, quæ circumtorquent et quasi maleficiis contaminant animam: consequemini enim quæ vobis sunt promissa (1). »

Si Scripturarum locos egregie tractandos hic suscepit Methodius, non minus Platonis elegantiam et vivarum figurarum splendorem refert. Celebrata maxime est scriptoribus Platonice imago qua mentes celestes (ut hic Virgines), choras sive choreas cum Deo

(1) *Ibid.*, c. v.

in cœlis agere finguntur. Alibi cœlum cum Christo percurrunt, aut sedes beatas habitant a mortali illuvie remotas. Quid dicam de mentibus justitia exornatis (1), et paulo infra, de fatuis virginibus quæ justitia vacuæ remanent, *inane virtutis simulacrum magis delineantes, quam vivam ac spirantem veritatem ipsam efficientes*. Ὡσπερ σκιαγραφούσας μᾶλλον εἰδωλον ἀρετῆ ἢς, αὐτὴν ἐργαζομένας ἔμπνουν τὴν ἀλήθειαν.

Sexcenta sunt alia quæ vel enumerare sit infinitum. Non enim melius cœli stellæ purum tranquillum que lacum distinguunt atque illustant, quam Methodii scripta splendidas Platonis imagines. Hac oratione et sequenti Methodius ante oculos habuit Symposium, Phædrum et nonnunquam etiam Timæum, quæ imitaretur; e sacris vero Libris psalmos, vel potius, ut ipsius verbis utar « *coronam ex prophetiis prætis texuit et concinnavit.* »

Virginitatis excellentia eo nomine à Procilla extollitur, quod sponsam Christi animam facit et in primis dilectam. Nonnullos et Cantīcorum et Psalmorum locos adeo vivis poeseos coloribus adornat, ut audientes recreet et novo ardore inflammet. Ut navigantes alios in portum, alios in altum mare dirigit idem ventus, « nobis quoque intelligens sanctusque et unicus sapientiæ spiritus, a superis Dei Patris the-

(1) Admiranda prorsus arte elegantiam Platonis et Imagines Methodius expressit; nescio vero an exquisite nimis dixerit: λαμπάδας φέρουσας (animas) κεκοσμημένας οὐκ ἄλλοτρίῳ καὶ κοσμικῷ κόσμῳ τινί, ἀλλὰ τῷ (prave apud Migne τὸ) φρονήσεως καὶ δίκαιοσύνης. VI, 4. Simpliciter in Phædro Plato: κοσμήσας τὴν ψυχὴν οὐκ ἄλλοτρίῳ ἀλλὰ τῷ αὐτῆς κόσμῳ, σωφροσύνη τε καὶ δικαιοσύνη. Adeo res est difficilis et periculi plena Platonem exornare.

sauris leniter spirans, nobis secundam afflabit scientiæ auram, quæ cursus orationum dirigendo dicentibus abunde sufficiat (1). »

« *Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum* (2). Lilio enim ob purum suavemque odorem, comparat virginitatis donum. *Verna quippe res virginitas, molliter efflorescentibus et semper candidis incorruptionem exhalans caliculis.* »

Septuaginta sunt reginæ... Una est columba mea, perfecta mea.... (3) Cum enim multæ sint Ecclesiæ filiæ, una sola electa est et carissima in oculis ejus supra reliquas, ordo scilicet virginum.

§ 2. — De astrologis et Porphyrio digreditur a Thecla.

Uno styli tenore adhuc usus est Methodius, vel in statuenda virginitatis disciplina, vel in sacris Scripturis commentandis. Flumen orationis lene incedebat, ut inter virgines solet et decet. Tum vero vertere disserendi modum Thecla, vocem tollere, insistere acrius, irasci et canere quodammodo bellicum. Hoc enim a Platone retinuerat Methodius, ut in dialogis suum cuique colorem daret et ingenium. Nihil enim ita nos capit aut tenet, ut nativus morum decor, quo et alios et teipsum agnoscas. Theclæ igitur, quæ et virginitatis et martyrii palmam tulisset, præcipuæ in dicendo partes erant assignandæ, nec immerito. Illa enim illustri loco nata, « a Paulo Apostolo fidei præceptis instituta, » quum sponso suo renunciasset, feris fuit objecta, tauris deinde illigata et in fossam

(1) C. 1.

(2) *Cantic.*, II, 2.

(3) *Ibid.*, VI, 7, 8.

serpentibus plenam acta præceps. Ex omnibus vero periculis incolumis evasit et intacta. Inde quum in montem secessisset, ad nonaginta usque annos, *tantumquam emeritis martyrii stipendiis*, ibi degit (1). Quo ardore igitur, qua animi alacritate et sublimitate disserterit egregia illa Pauli discipula, licet jam suspicari. Paulum ipsum audire te putes : adeo sermones habiti et dignitati rei virginæ et majestati congrue respondent ! adeo humana libertas strenue vindicatur. Libertas enim agebatur et in discrimen vocabatur. Nam Astrologi et Mathematici nonne subjici nos fatali cuidam astrorum necessitati volebant ? Qui quidem error temporibus illis latissime vagatus est ; nam plurimos paganos et præstantes etiam philosophos, ut Porphyrium, illo imbutos atque deceptos videmus (2). Methodius autem qui christianos ab omni errore et crimine defenderet, in Astrologos vehementer invehitur et recte. Omne meritum enim atque omne bonum ex hominum vita tollunt, qui tollunt libertatem. Deum enim, ut ipsius Methodii verbis utar,

« Deum ipsum malorum humanorum auctorem et effectorem impie faciunt. Si enim siderum universum circula-

(1) Breviar. rom., XXIII Sept.

Vide Carl. Schau, *De actibus Pauli et Theclæ*, Leipsig, 1877, in-8° ; vide etiam ingeniosum opusculum Edmundi Le Blanc, *Étude archéologique sur le texte des actes de sainte Thècle*, 1877, Paris.

(2) Vide egregium et eruditionis plenum opus (*Histoire de la Divination dans l'antiquité*, par A. Bouché. — Leclercq. Introduction, p. 84) : « Avec Porphyre le surnaturel déborde ; les enchantements, la *Magie*, la théurgie remuent ce monde de bons et de mauvais génies qui peuplent les régions sublunaires... *Les génies lisent l'avenir dans les astres*, et communiquent leur science parfois mélangée d'erreur, par les diverses méthodes traditionnelles. »

rem motum Deus ipse, qua sapientia nemo dicat aut vi mentis intelligat, ordine dispensat, orbis clavum rectissime gubernans; astra vero vitii atque virtutis qualitates vitæ humanæ ingerunt, quæ videlicet necessitatis vinculis homines in ea trahant, utique *malorum auctorem ac originem Deum ascribunt*: omnium tamen iudicio, nullius noxæ Deus auctor est (1). »

Deinde quomodo vim exercerent in homines constellationes ab ipsis hominibus et inventæ et nominatæ? Exstiterunt enim temporum priorum homines antequam plures constellationes exstarent. « Si melius erat nasci nos subditos natali necessitati quam ab illa liberari, cur, cum primum homines esse cœperunt, natalis illa fatalitas jam non fuit? »

Adversarios suos Methodius omni argumentorum genere involvit atque, ut ita dicam, circumvallat; alia aliis continuo succedere, modo huc ferire, modo illuc,

quam multa in tectis salit horrida grando.

Conjecturam ego faciam, nec invitus faciam, hic agi de Porphyrio, qui, ut sciunt, astrologiæ se dabat. Nunquam enim adeo pugnaci et bellatorio stylo usus est sanctus Doctor; inimicos vel proprios, vel christianæ religionis refellit atque affligit (cum illis isto modo pugnari solet). Neque ullam de Plotino mentionem facit Methodius, nihil quod sciam ex ejus scriptis decerpsit, quod vix credibile videatur in homine Platonis adeo amante, neque Enneadis ipsis quidquam alludit. Ex industria ita se gessisse Methodius videtur. Christianæ religioni parum favere Plotinum forte est suspicatus. Si favisset enim, an verisimile esset præci-

(1) *Orat.*, VIII, c. xvi.

puum ejus discipulum, Porphyrium, totum in commentandis magistri sui scriptis, tam infesto in christianos animo fuisse?

Quod si quis illud objiciat in Convivio a Methodio juvene composito non potuisse lacessi Porphyrium, id a nobis respondebitur. Adjecta nobis videntur fuisse illa argumenta orationi jam absolutæ. Vix enim cum illa oratione cohærent, a qua tum stylo, tum argumentandi ratione prorsus abhorrent: scolasticos enim scolasticis argumentis utentes audire te arbitreris. Quum autem Convivium suum omnium manibus teri videret, argumenta nova inseruit.

« Quæcumque natalis necessitas statuit lex prohibet; quæcumque vero lex prohibet natalis fatalitas facere adigit. Adversaria ergo natali fatalitati lex. Si autem illi adversaria, non igitur per natalem fatalitatem legum latores agunt, quippe qui contraria natali fatalitati sanciendo, eandem destruant. Aut igitur natalis admittitur fatalitas, nullaque legum erat necessitas; aut leges sunt, nec ex natali illa fatalitate et auctore, ut ita dicam, existunt. Atqui fieri non potest ut absque illa quis nascatur aut aliquid operetur. Nam ne digitum quidem sine fato posse aliquem movere aiunt (1)... »

Postquam argumentis directis et ad hominem genethliatos confutavit Methodius, quid inde incommodi in rebus humanis accideret, multis exemplis docet argute: « qui contendunt natali necessitate injustitiam atque justitiam perinde afflari, cinædorum mollitiem a fortitudine minime discernunt, nec luxuriam a castitate: quæ ut in unum cogantur fieri non potest. »

(1) *Orat.*, VIII, c. xvi.

Ardoris primi aliquid in tota oratione sua jam retinet Thecla, ut quæ supremo martyrii agone perfunctura esset. Virginitatem etiam colore bellico, ut ita dicam, expressit. Vitam enim nostram certamini cuidam compararunt sapientes, in quo adversus dæmones pro veritate et justitia personam nos agimus. In cælum igitur oculos erigamus necesse est, auresque ab impudicis Sirenum cantibus obturemus. *Plurimi enim erroris illecebris deliniti defluentibus pennis degravantur* (1) : qui quidem ala debili in voluptates prolapsi, a justitiæ scena exterminantur. Animæ vero quæ sublimi penna levatæ, sese supra hunc mundum extulerint, jam *prospiciunt incorruptionis prata* quæ flores deliciasque *pleno illis cornu profundant*. Inde fit ut inter tanta spectacula versantes, quæ plurimi apud nos fiunt opes, honores, voluptates alto supercilio despiciant, et, si quid supplicii in earum corpora constituitur, id minime sentire videantur : tanta pulchritudine oculus mentis capitur atque defigitur. Animas illas ex hac colluvie in cœlitum cœtum jam putes evolasse. Virginibus vero quæ ex hac regione migrant, ut victoriæ præmia referant, floribus sertisque redimitæ, occurrunt angeli, ut coronatas illas, « *ad ea quæ memoravimus incorruptionis prata deducant.* »

Renasci nos per Christum in baptismo jam vidi mus; quid autem inde sequatur pro illis qui sacris aquis tinguntur et Christo ipso signantur, gravissime nos docet Thecla. Sic enim hæc Isaia verba explicat *Priusquam parturiret, peperit, et antequam venirent dolores partus, effugit et peperit masculum* (2).

(1) *Orat.*, VIII. c. 1.

(2) LXVI, 7.

« Ego hac de causa dictum existimo gigni marem ab Ecclesia, quod nempe ii qui illuminantur, Christi lineamenta effigiemque ac viriles vere animos aspectumque assumunt, Verbi forma quæ secundum similitudinem est, illis impressa, et per certam scientiam fidemque in eis progenita, ita ut in unoquoque spiritualiter nascatur Christus. (Multo vero expressius et brevius græce, Τὸς χαρακτῆρας καὶ τὴν ἐκτύπωσιν καὶ τὴν ἀρρένωπιάν τοῦ χριστοῦ προσλαμβάνουσιν οἱ φωτιζόμενοι, τῆς καθ' ὁμοίωσιν μορφῆς ἐν αὐτοῖς ἐκτυπουμένης τοῦ Λόγου...) Propterea igitur velut fervet turgetque ac parturit, donec formetur in nobis genitus Christus, ut quisque sanctorum Christi factus particeps, Christus nascatur. Juxta quem sensum in quadam Scriptura dicitur : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (1). Tanquam christi evaserint spiritus indulto commercio, qui in Christum baptizati sunt, suas hic Ecclesia conferente partes ad eorum in Verbo clara imagine effigiem et transformationem... Etenim necesse est, in regeneratorum animis, veluti sigilli ritu, Verbum veritatis exprimi et efformari (1). »

Doctissimus ille præsul, Methodius, qui præclarissimas tum apud Platonem, tum apud Origenem allegorias hausisset, egregias et ipse conscripsit. Quum enim Tabernaculorum festum explicaret, id in sensum novum prorsus eximumque apte detorsit.

« Lex enim figura quædam erat et umbra futurarum rerum. Evangelium autem veritas est et vitæ gratia. Pulcher quidem erat Prophetarum fructus, pulchrior vero qui ex ipso legitur, incorruptionis fructus. »

Id a Deo jussum erat, Israelitas septem diebus, cujusque anni in tabernaculis habitare, ut memoria tenerent sic habitasse patres suos ex Egypto eductos.

(1) *Psal.* civ, 15.

(2) *Orat.*, VIII, c. VIII.

*Et sumetis die primo fructum ligni speciosum, et spatulas palmarum et ramos ligni densos, et salices, et ramos agni de torrente, ad lætandum coram Domino Deo vestro septem diebus anni. Judæos hic pungit qui, circa nudam Scripturæ litteram volitantes, veluti fuci circa olerum folia, non ut apis operi sedula circa flores et fructus, existimarent præscriptiones illas tabernacula e foliis tantum spectare. Illa vero res longe alias adumbrabant atque prænuntiabant. Corporis enim nostri tabernaculum in terram lapsum, sese resurrectionis die eriget stabile, nec in tumuli pulverem jam dissolvetur. Festum igitur diem Domino celebraverimus, si tabernaculum nostrum, carnem scilicet, operibus bonis adornaverimus. Quid enim sibi volunt *fructum ligni speciosum* et *spatulas palmarum*? Nonne divinæ disciplinæ exercitium illa verba præ se ferunt, quo mentem animumque, expulsis peccatis, et emundes et instruas. Quod si mundi nos atque ornati ad festum accedamus oportet, offusam vitiorum nebulam discutiamus, ut veritatem pure contemplemur. *Quadrantem enim non ante invenit illa Evangelii vidua, quam sordes eversæ domus eiecit.**

Fidem igitur, speciosum Evangelii fructum sibi comparet qui ad Tabernaculorum festum ascendit, Scripturas meditetur assiduaque manu verset; frondentes denique charitatis et castitatis ramos expandat. Ut enim charitatem reginam, sic omnium virtutum florem non immerito dixeris virginitatem.

Omnibus jam virtutibus moderari castitatem et excellere ostendit Domnina: quippe quæ efficiat ut anima sese optime gubernet. Ex quo enim egregiam virginitatis pulchritudinem aperuit, carnem suam armans castitate, « destructum est diaboli regnum,

cum captivos homines omnes prius traheret sibi que addiceret (1). »

Aliquid inde Methodius affert testimonii ex libro Judicum, ubi regnum illud castitatis jam prænuntiabatur allegoriis expressum. Narrat enim Scriptura venisse arbores ad Olivam, ad Ficum deinde, tum ad Vitem, ut reges eas ungerent. Quæ cum omnino recusassent ne sua inde commoda amitterent, dixerunt ligna ad Ramnum (seu Agnum castum, nam utroque nomine vocatur): *Veni, regna super nos*; et dixit Ramnus ad ligna: *Si in veritate ungitis me in regem, venite, confidite in protectione mea*. Multis explicat S. Pater quid sibi velit illa Judicum fabula; quum autem nobis implicata videatur et subobscura, illam exponere supersedemus, ut ad Virginum carmen tandem aliquando veniamus (2).

(1) *Orat.* IX, c. III.

(2) *Orat.* X *Dominiæ*, c. I.

CAPUT QUARTUM

CONVIVII FINIS : VIRGINUM CARMEN

Timendum vero erat ne virginitatem excolentibus aliæ cupiditates subreperent, quæ seductas earum animas abriperent. Sæpe fit enim ut, dum alicui rei intendis, aliarum negligentior evadas. Ita enim tenues, ita angustæ plerumque sunt mentis et voluntatis facultates, ut, si quoquam sedulo se convertant, ab aliunde se retrahant et quasi replicent. Cavendum igitur virgines docet Arete (nam virginitatem et virtutes alias illa jure moderatur) « *ne qua peccato sese infundendi in animam via atque aditus pateat, ut fieri in navium tabulis solet.* » Membra igitur omnia sensusque suos mundos et astrictos teneat qui virginitatem colit, gravissimæ enim offensionis est obnoxius. Nam multi quibus persuasum esset hoc potissimum præstare castitatem, ut effrenatos libidinis æstus ac cupiditates comprimat, reliqua vitæ institutione neglecta, hac quoque exciderunt. In quo autem consistat vera sinceraque virginitas, magno animi sensu explicat Arete : Qui cæteris meis studiis ac officiis præponendam castitatem docet, recte is admonet ; quam

quidem colere se et observare plurimi putant, colunt autem perpauci. Si enim carnem a voluptate contineas, nullum in alios affectus imperium tenens, virginitatem minime colis; imo vero injuria afficis, qui voluptates ac libidines libidinibus ac voluptatibus commutes. Quod si quis sensuum cupiditatibus fortiter obstiterit, inani autem gloria fastuque efferatur, castitatem ille nullo modo induit, sed inquinat et colluvie prorsus indigna corrumpit, quippe qui paropsidem exterius emundet, corpus scilicet et carnem, animum autem et superbiæ et ambitionis sordibus illinat. Postquam omnia apte concludit Arete, Theclæ virgini palmam in dicendo tribuit.

Tum vero assurgere virgines omnes, chorumque egregium instituire. Ut enim vivis poeseos coloribus nitide descripti fuerunt Aretes hortuli, ut toto convivio argute fuit disputatum, sic virginum sermonibus finis belle lepideque imponitur. Stans enim Thecla a dextris Aretes, media sub Agno Casto, auspicatur et choro præit. Reliquæ autem virgines, facta corona, quasi circumducto choro (καθάπερ ἐν χοροῦ σχήματι), Theclæ composite canenti succinunt atque respondent. Quid meruerint virgines quæ vitæ delicias, matris patriæque domus blanditias despexerint ut Christo se addicerent, coloribus adumbratur omnino poeticis. Enumerantur etiam, laudibusque efferuntur, si qui castitate integra floruerunt, Joseph, filia Jephthe, Juditha atque Susanna. Sua cuique laus certa et propria, suum cuique carmen (1) : *Tibi me servo castam et splendentem tenens lampadem*, respondent virgines : *Sponse, tibi occurro*. Carmen in Amorem a Socrate in

(1) Orat., XI.

Phædro pronunciatum non inepte Methodius est imitatus (1).

(1) Carmen hic adesse putat Jahnius : imo suos carmini modos restituit, et recte plerumque. Ab erudito collega meo, D. Daix, adjutus, ab ejus vestigiis in uno vel altero casu recedendum putem. *μολεῖν*, exempli gratia, e tertio versu ad quartum censeam rejiciendum, et revera rejicio, ut versiculus ille suis quatuor pedibus utatur. Quo metro autem usus fuerit Methodius, Jahnius minime declarat.

PSALMUS.

- 1 Cœlitus, virgines, clamoris excitantis mortuos sonus
Venit, sponso jubens omnes obviam ire in albis
Et lampadibus orientem versus. Expergiscimini priusquam
Intra portas rex. [occupet penetrare

HYPACOE (chorus).

Tibi me servo castam, et splendentem tenens lampadem,
Sponse, tibi occurro.

- 2 Mortalium luctuosam fugiens felicitatem, et
Vitæ luxuriosæ amorem, tuis sub ulnis
Salutiferis protegi me cupio, et tuam videre
Pulchritudinem in æternum, o Beate,
Tibi me servo castam...
- 5 Oblita sum patriæ, tuæ desiderio gratiæ, o Verbum,
Oblita sum virginum æqualium choros,
Matris et generis fastum : omnia tu mihi
Ipse, Christe, es.
Tibi me servo castam...
- 6 Vitæ largitor es, Christe. Salve, lumen innociduum;
Hanc accipe acclamationem. Chorus te virginum
Compellat : Flos perfectus (1), Charitas, Gaudium,
Prudentia, Sapientia, Verbum.
Tibi me servo castam...
- 7 Apertis januis, o Regina speciose ornata, accipe nos,
Impolluti corporis, egregie victrix sponsa, quæ decorem spiras.
Pari vestium cultu, Christo adstamus, fortunata pubes
Tuas nuptias cantu celebrantes.
Tibi me servo castam...
- 8 Gemunt nunc graviter ejulantes puellæ extra
Thalami fores, ac tristi luctu clamant, quod
Extincta lampadum luce, non mature satis
In vitæ cubiculum ingressæ sunt.
Tibi me servo castam...
- 15 Conspecta Suzannæ decora specie duo juvenes
Amore furentes dixerunt : O Mulier,

(1) Malim verba illa, *flos perfectus*, ad chorum virginum referri,
ut vult Mœlherus in *Patrologia sua*, t. II.

ΨΑΛΜΟΣ.

- 1 ἄνωθεν, παρθένοι, βοῆς ἐγεροσίνεκρος ἤχος
ἦλθεν νυμφίῳ πασσαυδί ὑπαντάνειν λευκαΐσιν
καὶ λαμπάσι πρὸς ἀντολάς· ἐγρεσθε πρὶν φθάσῃ
μολεῖν εἰσὼ θυρῶν ἀναξ.

ἝΠΑΚΟΗ.

ἀγνεύω σοι καὶ λαμπάδας φασσφόρους κρατοῦσα,
νυμφίε, ὑπαντάνω σοι.

- 2 βροτῶν πολυστένακτον ὄλθον ἐκφυγοῦσα καὶ
βίου τρυφῆς ἔρωτα, σαῖς ὑπ' ἀγκάλας
ζωηφόροις ποθῶ σκέπασθαι καὶ βλέπειν τὸ σὸν
κάλλος διηνεκῶς, μάκαρ.
ἀγνεύω σοι...
- 5 ἐλαθόμην πάτρας, ποθοῦσα σὴν χάριν, Λόγε,
ἐλαθόμην καὶ παρθένων ὀμηλικῶν χορούς,
μητρός τε καὶ γένους φρύαγμα· πάντα γάρ σύ μοι
αὐτὸς σὺ, Χριστέ, τυγχάνεις.
ἀγνεύω σοι...
- 6 ζωῆς χοραγός, Χριστέ, χαῖρε φῶς ἀνέσπερον,
ταύτην δέδεξο τὴν βοήν· χορός σε παρθένων
προσενέπει, τέλειον ἄνθος, ἀγάπη, χαρά,
φρόνησις, σοφία, Λόγε.
ἀγνεύω σοι...
- 7 ἠνοιγμέναις θύραις, ἄνασσα φαιδρόκοσμε, δέδεξ' ἡμᾶς,
ἄχραντόσωμε, καλλίντικε νύμφα, καλλίπνου·
ὀμόστολοι παρήμεθα Χριστῶ, πανόλθιαι,
μέλφουσαι σὸν γάμον, θάλος.
ἀγνεύω σοι...
- 8 θρηνοῦσι νῦν βαρύστονοι κόραι πυλῶν πικρῶς
νυμφῶνος ἔξω καὶ βοῶσι γοερῶς, ὅτι
τὸ λαμπάδων ἀποσβέσασαι φῶς οὐκ ἐφθασαν
Χαρᾶς ταμεῖον εἰσιδεῖν.
ἀγνεύω σοι...
- 15 Ζουσαύνας, ἐμμανεῖς ἔρωτι λέξαν· ὦ γυναῖ,
ἐμμανεῖς ἔρωτι λέξαν· ὦ γυναῖ,

Occulti cubilis tui desiderio perciti venimus, o cara ;
At illa tremulis clamoribus infit :

Tibi me servo castam...

- 20 Hymnis, o beata Dei Sponsa, thalamum nos
Adornantes, nunc celebramus te, intacta Virgo
Ecclesia, niveo corpore, nigris cirris,
Casta, irreprehensibilis, amabilis.

Tibi me servo castam...

- 23 Canens canticum novum nunc chorus virginum
Deducet te ad cœlum, o tota palam Regina,
Candidatis liliorum coronatus folliculis, flammisque
Gestans manibus lucis fulgoribus rutilas.

Tibi me servo castam...

- 24 O qui incontaminatas cœli sedes habitas, beate,
Principii expers, æterno omnia robore continens,
Excipe et nos, Pater, cum Filio tuo, adsumus intra
Vitæ januas.

Tibi me servo castam, et splendentem tenens lampadem
Sponse, tibi occurro.

EUBULIUS. Merito primam laudem tulit ac præmia Thecla, o
Gregorium.

GREGORIUM. Plane merito.

EUBULIUS. Quid porro Telmisiaca advena, dic, sodes; num saltem foris aurem januæ admovebat, ut aliquid raperet? Mirum enim si quiescere potuit audita hujus convivii fama, et non statim ut avis ad escam advolavit, auditura sermones qui haberentur. Aiunt enim eam Methodio adfuisse percontanti hæc ipsa ex Arete. Cæterum bonum æque beatumque est, tali magistra uti ac duce; Arete scilicet, id est Virtute.

Tum vivide acriterque disputatur. Gregorium enim et Methodius cognomine Eubulius, qui sermonem de virginibus instituerant, hanc quæstionem movent, utrum perfectiores sint virgines illæ quæ nulli cupiditati sint obnoxie, an quæ carnis æstus sentientes quidem, sed opprimentes, pacem tenerent. Quæ « tum carne tum animo, sedatis affectibus ac tranquillo fruentes, cupiditatem omnino non admitterent », palmam illis dabat Gregorium. Methodius vero longe aliter sentiebat. Animum enim sævis perturbationum fluctibus jactatum anteponebat, qui nec quidquam de conatu remitteret nec fatisceret, *sed cymbam, carnem utique, invicta constantia ad castitatis portum dirigeret.*

κρυπτῶν γάμων λέχη ποθοῦντες ἤκομεν, φίλα.
ἢ δ' ἐντρόμοις ἔφη βοαῖς.
ἀγνεύω σοι...

20 ὕμνοις, μάκαιρα θεόνυμφε, θαλαμηπόλοι
αἰέν σε γεραίρομέν, σε νῦν, ἄθικτε παρθένε,
ἐκκλησίᾳ χιονόσωμε, κυανοβόστρυγε,
σῶφρον, ἄμωμ', ἐρασμία.
ἀγνεύω σοι...

23 ψάλλων τὸ καινὸν ἄσμα νῦν χορός σε παρθένων
καθιστάνει πρὸς οὐρανοῦς, ἄνασσα, σαφῶς ὄλος
ἑστέμμενος λευκοῖς κρίνων κάλυξι καὶ φλόγας
χερσὶν σελασφόρους φέρων.
ἀγνεύω σοι...

24 ὦ τὰς ἀχράντους οὐρανοῦ, μάκαιρ, ναίων ἔδρας,
ἄναρχε, πάντα συγκρατῶν αἰωνίῳ κράτει,
δέξαι σὺν παιδί σφ', πάρεσμεν, ἔνδον εἰς ζωῆς
πύλας, πάτερ, καὶ ἡμέας.
ἀγνεύω σοι καὶ λαμπάδας φαεσφόρους κρατοῦσα,
νυμφίε, ὑπαντάνω σοι.

CAPUT QUINTUM

BREVIS COMPARATIO PLATONIS CONVIVIIUM INTER ET METHODII

Nemo sane a nobis petet ut hic, paululum disputando de Platonis convivio, conferatur si quid a scriptoribus vel nostris, vel Germanis, hac de re scriptum fuit, aut e penu nostro proferatur quidquid possit excogitari. Tanto oneri impar esset infirmitas ingenii nostri, vel lectorum patientia, et plus inde forsitan ambitiosæ molis operi nostro accederet quam luminis. Paucula primis quasi labris delibasse sufficiet.

Amor, si vulgari sensu sumatur, plurimis ansam errandi præbeat, qui toto cælo a vera Platonis mente errarent. Si enim linguam græcam attendant: «*ἠμῶ*, unde *μαθεῖν*, *μάθημα*.... proprie notat *cupio*, *desidero*, *amo*, imo vero ipsum est hocce latinorum *amo*, quod transpositis litteris inde formatum est (1). » Ita enim a natura comparati sumus et instructi, ut quæcumque res oculis nostris objecta, cupidinem nobis incutiat videndi quid illa sit. Sumus enim natura curiosi.

Illa autem nobis insita cupiditas, nonne revera amor est et vehemens ad cognoscendum impulsus? Quæ quidem res homines non latet vel rusticos et ignaros; qui, ubi historiæ vel alii disciplinæ addictum

(1) Heusde, *Init. philos. Plat.* II, p. 44.

aliquem vident, dicunt : — « Historiæ hic homo valde amans est. » Sit igitur amor pro studio vel pro re cui summa diligentia incumbitur. Quam animadversionem non inutilem fore duxi in opere quod sibi proponat ut vulgari amori uranius amor opponatur. Nam ut ab amore homines omnino retraheret, non tentavit Socrates (quod pessimo eventu tentasset), sed meliorem finem eis adscripsit, illos a vana et mutabili pulchritudine ad immutabilem et æternam paulatim transtulit.

Legentem meditantemque præclarum illud Platonis Symposium summa subit admiratio. Te quidem capit magna sermonum varietas, altissimi Socratis sensus, elegansque Agathonis et Alcibiadis nitor. Si autem animo reputaveris quâ arte, quo intimo vinculo singulæ partes inter se cohæreant, consistes dubius. Quem enim sibi finem proposuerit Plato in scribendo Symposio suo, valde apud plerosque auctores ambigitur. Id enim habet in primis difficultatis perfectus ille dialogus, quod præcipuæ duæ partes quibus constituitur, ad idem propositum consentire et conspirare non videntur : imo in duas partes abeunt quæ nullo, nisi loci et temporis, vinculo consociantur. Fac enim in toto dialogo agi de amoris laude, ut opus ipsum prima fronte promittit atque subindicant Grammaticorum inscriptiones vero dialogi titulo adjectæ, quid tum sibi velit Alcibiadis oratio de temperantia, de Socratis fortitudine, nullo modo video. Fere nihil ad rem facit, ipsaque ebrii hominis oratio quasi ebria fluctuat, nullo nexus affixa vinculo.

Aliam prorsus esse Dideroti sententiam, quam sequitur Wolfius in Introductione sua ad Symposium, non ignoro : qua quidem sententia, Socrates ab impuri

amoris crimine sese defenderet. — Cur autem se defenderet Socrates ab impuri amoris crimine non habebat, qui hac de re tantum accusaretur quod juventutem corrumpere, eam scilicet a colendis diis patriis averleret. An verisimile est Platonem adeo propositi sui tenacem, etiam cum oberrat utilitatis aut gratiæ causa, tam multa proferre quæ a purgando isto crimine essent prorsus aliena; id vero cujus causa scriberet, paucis paginis sub finem includere? Quid enim vinculi aut nexus habent cum defensione orationes amatoriarum? An vero in universa Socratis virtute exornanda versatur convivium? Neque ego ita se rem habere putaverim: obstant prioris partis cum orationes, tum discursus extra viam longissimi, obstat totius operis unitas quæ in hoc dialogo, ut in omni re, etiam in varietate vel maxima summa debet esse. Quod si ex Diotimæ oratione, ut ex arce quadam, rem attente consideraveris, brevi tempore, ni fallor, tota sese tibi offeret et explicabit argumentorum sinus. Videbis *quomodo vir vere sapiens terrestrem amorem in caelestem æternumque transferat, in quo felicitatem ponat suam*. Hoc nos docet mulier illa divino numine afflata, Diotima.

« Diotime enseigne comment nous devons purifier nostre âme par vertu et scavoir, et la séparer peu à peu du corps; afin qu'à part soy elle puisse mieux connaître la souveraine beauté, source de toute beauté, et mère de l'amour divin, qui est le vrai but de notre pérégrination mondaine où nous devons tous aspirer (1). »

Quum enim omnis res pulchra se habeat ut radius a splendidissimo sole dimanans, velut effluens rivulus ex

(1) Le Roy, *Symposium Platonis*.

immenso bonitatis pelago; hinc et inde dilapsos radios rivulosque pulchritudinis colligit sapiens. Pura nos pulchritudo detinet, et pura veritas, velut nimia lux, oculos nostros fere obcæcat. Ita enim sensibus immergimur, ut nihil nisi per sensus apprehendamus, omnesque res vel maxime spirituales, ut ita dicam, nobis corporascant. Hinc sensim procedamus oportet, gradibusque pluribus utamur, ab amando uno corpore pulchro ad omnia venientes. Altior gradus erit si, despecto flore illo corporis, solam animi pulchritudinem venamur assidue, donec tandem lux pulchritudinis veræ, immutabilis et æternæ nobis oboriatur.

Hæc est vere sapientis summa sapientia et theologia. Singula nullo modo petita et quæsita, sed sponte nata esse dicas et oblata. Qua autem arte omnia redundant in Socratis laudes, notari satis non potest. Quam temperans ille! quam sui potens! qua vi nos trahit ut bonum pulchrumque diligamus. Adeo nos ardore percellit Socrates, ut non solum omni crimine, sed etiam admiratione major esse videatur. Quam sibi animo finxerat Plato speciem perfecti philosophi, eam Socrates vita sua expressit planeque adimplevit. Inde fiebat ut sua amandi ratione mirum in modum omnibus præstaret vel poetis, vel medicis. Jam vero quantæ artis opus est convivium quod hæc omnia plana nobis faciat et perspecta.

« In quo, ait Rückert (in *Symposio Platonis*) (1), perfecta unitas cum summâ varietate argumenti ita est conjuncta, ut vix ullum sit antiquitatis monumentum quod majoris venustatis sensu animum afficiat. Duæ sunt quasi picturæ una in tabula propositæ, quarum utraque per se spectata magnam et voluptatem gignat et utilitatem,

(1) P. 323.

suaque causa adesse videatur; eas autem una idea ita est auctor complexus, ut non solum utraque alteram mirifice illustret, sed etiam ex universi operis contemplatione insignis quædam utrique lux affulgeat, adeo ut dubitare subeat, utrum magis admireris totum an partes quibus constat. »

Ipsa nos philosophia, ut religio, a caducis rebus abstrahit atque seducit. Hic enim humanæ naturæ finis, hæc spes est proposita, ut exuta omni labe bonum tandem assequatur, ipsaque fiat tanquam Deus. Virtutes ipsæ quæ necessariae sunt ad id, ut instruamur et præparemur, non ita amplectitur anima ut in illis acquiescat, sed ut puros candidosque nos a terra sublevent atque erigant. Oppressi enim jacentes et abjecti, quomodo verum pulchrumque animo contemplerur? Bonum vero quomodo aut amemus aut tota mente teneamus?

Nonnullos ita crassos esse et vecordes scio, ut eorum alæ turpi et libidinoso limo prægravatæ vix e cupiditatum cæno emergant atque expediantur. Liberi alii, vitæque omni cura abjecta, ad virtutem usque ascendunt. Alii vero ala sublimes virtutem ipsam transcendunt, nubeque voluptatum discussa, ad lucem intelligibilem perveniunt, ibique tanquam in patria, absoluto longo itinere, conquiescunt.

Ad tantum autem contemplationis culmen, nec repente, nec animæ aut virtutis ipsius ope pervenitur. Ipsa nos pulchritudo et amor in curriculo illo laborioso dirigit et manu ducet. Sensus enim, oculos in primis pulchritudo afficit, animos pulchritudo quæ in affectibus plurimum, multum in vitæ disciplinis et moribus atque in variis etiam virtutibus præstat et dominatur. Quis enim pulchritudinem videre possit,

quin illico et allectum se et arreptum sentiat. Provocare te eam dicas. Nonne omnes animæ facultates, nonne totum hominem vocat pulchritudo, ut mirandum spectaculum, novum cœli incolam in terris versantem intueantur, alloquantur atque de communi patria novi aliquid sciscitentur. Tantus omnes capit amor et delectatio! tantus ardor omnes excitat!

Hic Ecclesia, licet altissimam Platonis disciplinam admirata semper fuerit, nonnihil ab ea differt. Nonne enim timendum est, ne dum quamque rem creatam sedulo inspicimus et quasi odoramus, ut disjectos hinc et inde pulchritudinis radios colligamus, ipsi creaturis, quæ est naturæ nostræ imbecillitas, adhæreamus et agglutinemur; ne pulcherrimus ille mundus qui gloriam Dei enarrans, nostras mentes ad cœlum erigere jubebatur, eas ad se unice convertat et misere deprimat. Ignorabat enim Plato, ex quo dignitatis fastigio ceciderimus. Non enim ad id solum anima nostra in corpore inclusa est, ut labem admissam abstergat indeque in patriam suam sublimi penna remeet. Si res ita se haberet, nativi decoris et recuperandæ libertatis avida, quam sponte, quam vehementer per creaturas ut per gradus evolaret! Quo impetu, qua voluptate in sinu Dei requiesceret!

Multum vero dissimilis est naturæ lapsæ status in quo gementes versamur. Rerum creatarum rex et pontifex a Deo sacratus homo, quum sibi, tum animalibus haud difficile imperabat. Impersum enim ferens super frontem lumen divini vultus, qua facilitate imperium in omnes animi partes tenebat, qua auctoritate et nomen et leges animalibus imponebat: illa enim, quasi super capite ejus impressum regis dignitatis titulum legissent, sponte ac volentia obedie-

bant. Ubi vero in Deum rebellavit homo, rebellem sibi naturam, rebellem sibi Deoque mentem atque voluntatem sensit. Nec parum sauciatae impio illo et domestico bello animi partes atque afflictæ. Plus lamen virium retinuit mens quam voluntas; mens enim licet superbiæ et cupiditatum fumo obducta, acuminis nativi multum retinuit. Voluntas vero quam ægre partes suas agit ut bonum assequatur! Illam turpi inertia torpescere dicas, aut velut serpentem se habere, qui mutilas corporis sui partes vix vixque trahat. Crasso enim corpore involuta anima fere non habet unde se erigat, aut nitidum cœli lumen contempletur. Nam, ut ait poeta, corpus onustum vitiis animam prægravat.

Atque affligit humo divinæ particulam auræ (1).

Quod si videt quid sit agendum, aut non agit, aut media via subsistit, aut etiam in transversum trahi se patitur.

*...Video meliora proboque,
Deteriora sequor.*

Ex Platone in mundum intellectus procedimus omnes. Hic solum vivet anima nostra : nam vita illa vere vitalis est. Quæ igitur currentes nos impediunt atque morantur, expediamus nos ex iis bonis. Relictis umbris et quæ nos decipiunt imagines, fugiamus in patriam nostram. Quomodo vero fugietur? Nec pedum cursu, nec velocitate corporum. Ipse nos amor armis instruet alasque suppedabit. Dialectica per omnes pulchri gradus nos ducet ad summum pulchrum summumque bonum quod, solis instar, si quid est verum, justum,

(1) Horace.

sanctum, illuminat. Ut enim viator quidam, dum altissimum montem scandit, fere nihil aspicit: ubi vero in summum montem evasit, omnia sese oculis ejus offerunt, lacus, silvas omnemque camporum et pratorum immensitatem contemplatur; sic in hoc pulchritudinis pelago versans quam etiam atque etiam spectat amans, oculos suos intuendo depascit, sermones effundit uberrimos, unaque jam scientia tenetur, pulchri scilicet omni ex parte perfecti.

*Tu scalam e gradibus facito, qua nixus ad ipsum
Ascendes pulcri perveniesque caput (1).*

Hæc est scala animæ dialectica ad Deum, quæ multum momenti in litteris et profanis et sacris habuit. Nonne a Platone retinuit Aristoteles pulcherrimam illam *entium scalam* quæ, a rudissimis creaturis profecta et ad perfecta magis magisque procedens, ad Deum usque ascendit? Nonne inde veniunt sexcentæ scalæ animæ christianæ, vel ad Deum, vel ad perfectionem? Quæ quidem omnes, in vita patrum in deserto degentium ita celebres fuerunt, ut inde eruisse plures nomen suum minime admirer (2).

Amor divinus, utpote nullius rei indigens et omnibus opibus abundans, se habet ut bonum quod, teste Divo Thoma, *est sui diffusivum*. Atqui fulgens ille divinæ bonitatis sol, ut oculis nostris aliquid suæ lucis aspergat, est quodam modo velandus et nube aliqua obscurandus. Alioqui quod illustrandum sibi

(1) *Mopsus sive Schola Platonica*, p. 15.

Meta Deus, si quæris ea est. Huc dirige cursum
Et Deus optatæ fons tibi pacis erit. (P. 8.)

(2) S. Joannes Climacus.

erat, ipso splendore suo perstringat. Sese igitur flumen illud boni omni die exundans capacitati nostræ accommodabit attenuabitque, ne debilitatem nostram aut opprimat, aut affligat. Paulatim igitur et triplici se gradu nobis communicet necesse est. Nam triplex est rerum pulchritudo, mere corporalium scilicet, mixtarum atque corporearum. Ex immenso fonte et vivo bonitatis gurgite exurgens pulchritudo, in animas primum aut disciplinas aut recte facta descendet, indeque in pulchra se corpora disperget recondetque. Sic videre et admirari me memini Casertæ, in Italia inferiori, magnum flumen ex summo montis vertice erumpens in rupem et lacum, indeque multiplici lapsu in pulcherrimos rivos qui fecunditatem regiis hortis plurimam darent et viriditatem. Ita communicari nobis divina bona non ignorabant philosophi etiam pagani, qui discipulis suis præciperent ut ex effectu ad causam, ex rivulis ad fontem continuo ascenderent; non ignorabat Paulus divini splendoris conscius, qui omnia nunc videre nos *per speculum et in enigmate* affirmaret.

Eadem igitur via, sed inversa, cum Platone nobis est regrediendum. Cum enim corpora, si quid habent pulchritudinis, hoc ab anima totum acceperint, a corporibus pulchris ad pulchras animas transeas oportet, et ab animis pulchris ad pulchrum ipsum, Deum. Cui quidem sententiæ sacra theologia suffragatur.

« Quia ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursus visibilibus innitatur, ut, quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa, atque eisdem quibus corrui passibus, surgat. Porro a Deo in seipsam, a seipsa in infimorum amorem

cecidit anima : unde æquum est ut iisdem vestigiis idem iter remetiatur (1). »

Remetiamur igitur illud, Platone duce et Amore.

In Amoris beneficiis exponendis eundem ordinem tenet ille ac in vero assequendo. Ut enim duplici gradu nitens ratio, opinione et scientia, ad verum usque ascendit, sic a concreta et corporea pulchritudine nostra mens ad incorpoream primum et ad omnis pulchritudinis fontem tandem exilit. Hanc vim igitur amori tribuit Plato, ut optimos quosque sensus, optima studia, optimas in nobis facultates suscitet atque confirmet; nec immerito Dæmonem eum habet, qui medium locum nos inter et Deum teneat. Imo nobis inhæret amor ille, siquidem est liber animæ sapientis impulsus. Moderatione est utendum non parva : nam ex duobus equis qui mentis currum trahunt, ferocem unum, immanem, corporisque facibus accensum teneas oportet et flagello cruentes, ut tranquillus alter suique potens, suum ad pulchritudinem iter caste peragat.

Quam sapiens, quam sublimis, quam consentiens cum doctrina christiana Platonis illa disciplina, nemo inficias ibit. Nonne Dei Verbum, Christus, lumen est et amor? nonne omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat? Quid! altissima illa Joannis disciplina, nonne in amore solo versatur? amor enim animam Deo consecrat et intime conjungit. Amor Patrem Deum cum Filio suo et Sancto Spiritu, Filium cum Ecclesia, creatas denique res universas cum Deo religat atque devincit. *Ego in eis et tu in me, ut sint con-*

(1) Thomassinus, *De Deo*, lib. I, c. xxii, 12.

summati in unum (1). Unitatem vero illam spectant ut sibi propositum finem mundus et homines.

Mirari igitur hæc et alia cogitanti non jam licebit cur tanti semper sit habitus Plato a patribus Ecclesiæ Græcæ, vel etiam Latinæ. Socium enim eum habebant, fratrem alterum et pene christianum. Tanti enim ingenii philosophum nonne Deus ipse ad id et elegisse et consecrasset videbatur, ut Evangelio viam apud gentes aperiret, et Christi præco venturum Verbum prænuntiaret. Quis Platone melius justitiam laudavit, quis bonum dilexit, quis pulcrum majori ardore est prosecutus? Quid mirum igitur si tantis viris quos præsens rerum status, quum profanarum, tum etiam sacrarum tædio afficiebat, tantopere placeret Plato. Juvat enim, vehementer juvat habere quocum colloquaris, aut cui egregie cogitanti acquiescas. Basilius Magnus, pio prorsus animo et meditando, in pulcherrimo Ponti secessu degens, mirum quantum Platone platonisque legendis recrearetur. Hinc ingenium spiritumque alebat, hinc vivos poseos colores ducebat quibus tractatus suos aut epistolas exornaret, hinc locos etiam integros transferebat quos novis dogmatibus insereret explicandis.

Augustinus, altissimo animo theologus, res omnes tanta sagacitate scrutatus est et explicuit, ut *Plato christianus* meruerit appellari. Nomen enim aliud majori laude dignum ab hominibus admiratione captis nullum est inventum.

Summa auctoritate semper fuit Plato ad nostra usque tempora, media etiam ætate quum plurimum in res tum philosophicas, tum theologicas Aristoteles

(1) *Joan.*, xvii, 23.

dominabatur. Spirat enim nescio quid altum et poeticum. Platonem enim non immerito conferas cum magnis illis fluminibus apud antiquos memoratis quæ, quum pucherrimas terras irrigassent et exhilarassent, subito ex oculis sub arena dilabebantur. Quæ quidem etsi jam fluere aut sinu ludere multiplici non videbas, adesse tamen et plurimum posse ex agris fecundissimis et viridissimis intelligebas.

Hæc Platonis admiratio et imitatio adeo Patres ceperat vel optimos et primæ notæ, ut a recta doctrinæ via nonnunquam declinarint. Origenes ille, Alexandrinæ scolæ gloria, minus sane errasset, si a Platonis vestigiis sæpius discessisset.

Est hic quod valde miremur cur, cum de Amore tractaret Plato, de mulieribus ne mentionem quidem fecerit. Nam divino numine afflata, Diotima, quæ tam alta sapit et edocet, nec suas, nec aliarum mulierum partes agit, sed Dei ipsius, ut ita dicam. Quid! nullasne alas virgini, nullas uxori, nullas matri sufficiet Amor! Solæ igitur ex omnibus hominibus, a Pulchro et ab omnis Pulchri fonte, aut persequendo aut attingendo excludantur! Quis tamen ipsis aptior est uranio Amori? quis melius pulchritudinis sensus et percipiat et exprimat? Sua ipsis jura restituet Virginitas suamque dignitatem, Platonem supplebit Methodius, præcipuumque locum et laudem mulieribus in Convivio suo tribuet.

Methodius, etsi operis ratione certa satis, satisque definita non semper ulitur, id tamen cum Platone habet commune, quod sensibus nos externisque rebus omni ope vult expedire. Nihil enim ita sublimes animas a Deo aversas, nihil ita oppressas tenet et abjectas, ut divitiarum, voluptatum rerumque terrestrium amor. Ad id enim tendit amor, ut nos cum re amate

societ atque jungat. Quæ quidem conjunctio atque societas fieri nullo modo potest, nisi intersit similitudo quædam et affinitas. Inde necesse est ut nos noster amor aut erigat aut deprimat, siquidem hujus rei quam diligimus participes nos facit. Quid enim magnum, quid altum cogitet homo crassis sensibus obductus et quasi constrictus, soloque mentis apice liber?

Vide qua arte benignissima imbecillitati nostræ se attemperaverit Christus. « Cum enim nihil a materia, nihil a corporum fœculentia purum posset homo cogitare, necesse fuit ut, aut de Deo nec cogitaret unquam, aut corporeum cogitans fœdissimo semper errore deluderetur, aut Deus corporasceret ad eumque modum et hoc errore et illa æternorum oblivione hominem expediret (1). »

Carnem ergo assumpsit Christus, sed puram atque virgineam, quæ res divinas nullo modo interciperet, nobisque ut pellucidum exemplar offerret quod imitemur. « Eo consilio, ait Methodius, voluit humanam carnem, Deus cum esset, induere, ut, velut in tabula divinæ vitæ exemplar propositum cernentes, possemus et nos auctorem imitari (2). » Illa vero Dei imitatio in hoc consistit ut « *a corruptione recedamus* ». Nunquam autem a corruptela melius receditur quam per virginitatem. Ipsa nos virginitas, ut amor apud Platonem, erigit, quippe quæ procaces libidines coerceat, sensuum impetui obsistat, rebusque nos subducat vel blandissimis. Tenet enim castus vir non solum auctoritatem, sed etiam imperium in omnes sui partes, adeo ut angelum eum jure dixeris corpore carentem, ut pote soli menti deditum.

(1) Thomassin. *de Incarnat.*, lib. I, c. vi.

(2) *Orat.* I, c. iv.

Re quidem vera, castissimum juvenem nonne unquam es contemplatus? Quæ te reverentia cepit et admiratio! Liquidis oculis quantus nitor! Candidam ejus frontem pudor vestit virgineus, ingenuus rubor vultum aut genas dubiis maculis aspergit. Si autem loquitur, quod non sine scrupulo quodam amabili facit, pulchram ejus animam ad os venire dicas, tantus decor spirat et toto vultu emicat. Virginitatis enim splendida illa lux quæ intus habitat, etiam in pellucidum corpus redundat, illudque mirabili fulgore induit. Ipsa enim sese virginitas interior et spiritalis in corpore pinxit, ut sol in nube, atque ita mortalem illam carnem caste consecrat.

Inde fit ut per totum corpus diffluat virginitas, quod ex toto pectore exundat. Quod si *deliciæ Domini esse cum filiis hominum*, quid de virginibus dicemus?... «Quelle éloquence pourrait exprimer quel est l'amour du Sauveur Jésus pour la sainte virginité? C'est lui qui a été engendré dans l'éternité par une génération virginale; c'est lui qui, naissant dans le temps, ne veut point de mère qui ne soit vierge; c'est lui qui, célébrant la dernière pâque, met sur sa poitrine un disciple vierge et l'enivre de plaisirs célestes; c'est lui qui, mourant à la croix, n'honore de ses derniers discours que les vierges; c'est lui qui régner en sa gloire, veut avoir les vierges en sa compagnie. Jésus n'a point de temples plus beaux que ceux que la virginité lui consacre; c'est là qu'il se plaît à reposer... (1) »

Quam congrua, quam consentanea sit cum platonica illa Methodii doctrina, nemo non videt. Hæc enim ille Plato : « Omnis volu ptas atque dolor quasi

(1) Bossuet, *Sermon pour une profession*, t. XVII, p. 229. Édit. de Versailles.

clavo animum corpori affigit et annectit, efficitque corporeum, adeo ut jam opinetur ea esse vera quæ suadeat corpus. » Eadem enim vita, eodem more vivitur. Monstrat idem alibi infectum animum involutumque contagione corporea, qui quasi per carcerem res considerare cogatur. Re quidem vera nonne corporis commodis tantum consulunt plerique homines, ad id solum voluntate abutentes ut iis omnino serviatur. Libero enim arbitrio res ipsis comparantur vel utiles, vel jucundæ. Sublimior autem diviniorque pars hominis crassiori parti subicitur atque mancipatur : qui in nobis habitat Deus ad vilissima quæque adigitur. Greges Admeti pascere dicas Apollinem, exuta cœlesti forma et conditione. Quam vitam igitur homines ad veri, pulchri, bonique leges componere debebant et quasi ædificare, ut eas in se ipsis informarent planeque exprimerent, eam vanam fingunt et inanem.

Ut Platonis Symposium est continuus gradus ad omnis pulchritudinis fontem, sic Methodii Convivium viam nobis indicat novam et iter ad paradisum. Idem igitur finis in utroque, idem propositum, sed quam diversa via ad id tendunt! Plato enim omnibus creaturis utitur, ut ad summam pulchritudinem gradiatur ; ab omnibus autem etiam legitime concessis abstinet Methodius. Timet enim ne impedimento sibi sint illæ et insidiis : nam si ab incorporea pulchritudine ad corpoream vilemque sæpe deceditur, quis præstabit ut continuo procedamus, nec in medio cursu labamur creaturis impliciti? In utroque autem convivio altissimos sensus, mentis excellentiam quæ rebus omnibus dominatur, summam curam de servanda hominis dignitate admirari est.

CAPUT SEXTUM

DE METHODII STYLO : POESIS, NOVITAS ET UBERTAS.

Egregium animo propositum concepit Methodius instituendi *Convivium* decem virginum, quod Platonis Symposio opponeret. Hoc quidem ingenii facultatem indicabat non mediocrem. Peragendo autem proposito illi multum inerat difficultatis. Quomodo enim virgines decem inducas sermonem habentes, et magna cum varietate. Exstat quidem varietas illa in Platone, et pulcherrima et uberrima. At quanto labore comparatur! Quid enim efficiat amor in hominibus exponit Phædrus; Pausanias autem et Eryximachus medicus, quæ sint amoris genera et efficacia in toto mundo. Hic autem, ut satietati occurratur, tum ut audientes recreet ac reficiat, levia seriis miscet Aristophanes cum dicacitate aliqua subobcœna. De tribus enim hominum generibus comice disserit, atque inde amoris causam et originem repetit. Illud vero minime negandum, masculam femineamque in una et eadem natura contineri, ut videre est in sacris Scripturis. Quid autem re vera sit Amor, Agatho ex ipsius dotibus subindicat. Diotima vero, numine divino afflata, sermones omnes antea jam habitos apte concludit finemque illustrissimum iis imponit. Ex abundantia et paupertate natus Amor hunc sibi finem proponit, ut in pulchritudine producat vel filios, vel opera, vel recte facta, quibus immortalitatem consequatur. Qui-

bus gaudiis exultat Diotima, quo impetu sublimes res omnes creatas transcendit, quo ardore audientes nos rapit et accendit! A sensibus nos rebusque caducis abstrahit, et summa tum animi, tum sermonis excellentia in contemplanda pulchritudine ipsa domicilium ponit.

Illa autem varietas a Platone eximia arte quæsitæ et inventa, non solum difficile, sed omnino assequenda Methodio non erat, decem personas agenti. Tanto operi non sufficiat vel Platonis artificium. Artem vero hujus in dialogo vel componendo vel ornando videtur expressisse. Optima enim illa Marcella, divino instinctu impulsæ, quo nos virginitas evehat, apte indicat. Magis autem sese imbecillitati nostræ accommodantes Theophila et Thalia, sacri legislatoris mentem explicant. Variis deinde parabolis, variis figuris virginitatem virgines aliæ adumbrant atque illustrent. Nitet Agatha omnique leporis genere floret. Thecla autem dogmata christiana et sublimes animi sensus exponit et evolvit; qui humanam libertatem lacescebant, prosternit atque affligit.

Si autem disciplinam altissimique ingenii scientiam in litteris et sacris et profanis, si styli elegantiam et ubertatem animo reputaveris, summa admiratione sane afficeris. Diu multumque omnis generis scriptoribus studuerat Methodius. Etenim in variis ejus operibus non solum Platonem, sed auctores diversos et poetas etiam est imitatus. Legat aliquis sanctum Doctorem, perpendat præstantes ejus locutiones lepidasque figuras, cum præclarissimo quoque versatum eum inveniet. Cum Platone enim Xenophontem aliosque, cum Homero poetas dramaticos, comicos etiam recognoscet. Omnia autem tam apte cohærent et

conveniunt, ut eodem tenore, eodem flumine fluere dixeris. Adeo vero Platoniceam dicendi sentiendique rationem arripuerat atque imbiberat, ut bis terque vel in una sententia sit eam imitatus. In una pagina animadvertere me memini duodecim fragmenta ex diversis dialogis decerpta (1). Quid inde virium, quos poeseos colores retulerit, dici non potest. Hinc vitalem succum duxit, hinc spiritum et sanguinem. Ut enim « *qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur* (2), » sic fieri non potest ut legat aliquis Platonem, nec multum inde ditetur. Quid, si illum die ac nocte mediteris et assidua manu verses! Sed aliquot exempla in medium proferamus.

Τούτου γὰρ τοῦ κτήματος τοῖς ἀνθρώποις ἀμεινον βοήθημα οὐκ ἂν τις ῥαδίως ἕτερον λάβοι ἀρέσκον θεῶ καὶ προσφιλέσ. Διὸ ἐγὼ χρῆναί φημι τὴν ἀγνεῖαν ἅπαντας τιμᾶν καὶ διαφερόντως ἄσκειν τε καὶ ἐγκωμιάζειν.

Plat. in *Symp.* Τούτου τοῦ κτήματος τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει συνεργὸν ἀμείνω Ἔρωτος οὐκ ἂν τις ῥαδίως λάβοι. Διὸ δὴ ἔγωγε φημι χρῆναι πάντα ἄνδρα πόν Ἔρωτα τιμᾶν, καὶ αὐτὸς τιμῶ τὰ ἐρωτικά καὶ διαφερόντως ἄσκάω.

Non in phrasis contextu tantum, sed ad minutissima quæque in imitando Methodius descendit; a Platone enim curiose petit formulas dialogorum proprias, ἰδέε, νόησον, etc. Quæ particulæ imaginibus instituendis præmissæ elegantiam addunt non mediocrem.

Methodio nostro non accidit quod imitantibus plerumque accidit, ut propriam vim amittant, dum alienum sectantur ingenium. Etiam cum Platonem imitatur, aliquid et multum de suo addit. Quæ enim ille subindicaverat, ea Methodius amplificat aut illus-

(1) Cf. Jah., p. 79-80, 85-86.

(2) Senec. Epist. 109.

trat. Neque de splendidis illis metaphoris loquor, quæ corpus hominis ostendunt, ut animæ currum, vel tabernaculum aut vestimentum, ἔνσαρκοι ἡμῶν σκηναί. Dicit etiam λόγων δρμαί.

Πολύπλοκος egregio sensu usurpavit noster. Illa vox enim proprie dicitur de serpente *qui multis nodis corpus plicat*, recteque ad animum *versutum omnique dolo idoneum* transfertur. Quod igitur Plato de Typhone ex pluribus serpentibus conflato adhibuerat, ad diabolium, malitiæ patrem, jure convertit Methodius, secutique Patres flexuosam serpentis figuram, malignitatis symbolum esse voluerunt. Quid? quod noster Typhonem etiam pro diabolo sumit (1)?

Hanc sibi regulam imposuerat Methodius, ut in omni re stylum Platonis fere sequeretur: quod quidem adeo notum fuit, ut Jahnius, hoc attendendo, locutiones Platoni attributas aut correxerit, aut plane rejecerit. Unum tantum exemplum afferetur. Nonnulli, Bekkero auctore, cum pluribus codicibus sic scribebant hanc Politici sententiam: ἡ πολιτεία παντελῶς κεκοσμήσεται. Παντελῶς *glossema redolet*, ait Jahnius, *et τελέως*, quod Scheiderus recte servavit, *imitatione Methodii confirmatur* (2).

Sacras Scripturas non minus quam Platonem ipsum evolverat Methodius eratque prorsus imitatus. Quid elegantiae atque splendoris ex duplici illo fonte hauserit, mirari jam desinet qui nostri Doctoris opera perlegerit. Si magnas opes ex uberrimo ingenio suo extulit, plures forsitan et meliores etiam ex alieno penu transtulit. Etsi argutum nimis, ut jam diximus, in commentandis Scripturis se præbet, audaces expli-

(1) In fragmento *de Cruce*.

(2) Vide *Meth. Platoniz.*, p. 59, 62, 65, etc.

cationes et omnino novas sæpe tradit. Hujus stylus natura lenis et elegans, aliquid inde roboris trahit et dignitatis; imo a textu sacro tam parum differt, ut allegoriæ, si quas finxit et excogitavit, e sanctis Libris haustæ videantur.

Sed hæc in genere, ad particularia veniamus. Triplici dote commendari mihi videtur Methodii stylus: poeticus est, novus, et maxime abundans. Vivos poeseos colores induisse scriptorem Platonis adeo amantem, nemo jam admirabitur. Nec in Convivii exordio tantum, vel ad finem splendet color ille poeticus (his locis enim Platonem æmulari voluisse visus est), sed universo styli tenore ad poesim propendet. Sive enim sua ad id natura ducebat, sive virginitas nescio quid præclarum Methodio attulit, quod facile admittam ego, nam eadem materia Tertulliano, Cypriano, Hieronymo et Ambrosio in primis egregia suggestit, sancti præsulis elocutio periodica est et figuris illuminata. Plerumque enim fit ut ejus sententia certis partibus a se invicem suspensis numerose breviterque concludatur. Plurimæ simul figuræ quibus distinguitur ejus oratio, vim huic multam, varietatem, dignitatem et amplitudinem addunt. Ex his figuris enim aliæ mentem nostram docendo illustrant, aliæ nos delectant, quædam vero sensus ipsos veluti feriunt. Nam apud Methodium splendidas hypotyposes, ut apud Virgilium ipsum aut Ciceronem, invenias. Imaginem hominis cupiditibus allecti et misere abrepti jam vidimus. Alio loco, cur Christus in abyssum descenderit argute indicat.

« Multi in abyssum descenderunt, non ut in ea ambularent, sed ut vinculis constricti tenerentur. Solus Jesus in abysso, ubi nulla sunt ambulantium vestigia, tanquam

liber ambulavit. Mortem enim elegit, cui non esset obnoxius, ut morti addictos liberaret, *dicens iis qui in vinculis erant : Exite, et iis qui in tenebris, revelamini.* »

In omnibus scriptis suis Methodius, Græcus ut erat, pulchre nitideque describit : Basilium aut Chrysostomum audire te putes.

« Vincat prorsus fides ejusque lumen, quæ circa cor volitant, mali hostis fœda simulacra depellat. Nimirum, ut quando serenam noctem luna plena illustrans, affusis ab occasu densis atrisque nubibus, clara mundo luce redditur, sic et vos, lucem virginitatis ostendentes mundo, etsi angustiis et laboribus vexamini, ne, quæso, virgines, fatiscentes, spem vestram abjicite. Aderit mox spiritus qui nequissimi difflet nubila, si vos, quemadmodum Mater vestra, quæ in cœlo parit masculum Virginem, infensi anguis insidias minime timeatis. »

Spirat nescio quid altum et poeticum Methodius, etiam quum fidei catholicæ dogmata constituit, aut adversarios refellit. Die quodam, quum secus mare ambulabat Valentinus, Dei potentiam admirabatur, qui tumidos fluctus et solem temperaret. Postridie vero, duo homines videbat qui se invicem lacescebant, alterum quidem injuriam passum, alterum autem ipsum spoliante. Deum quidem, et tanti spectaculi et facinoris adeo atrocis, auctorem esse nemo dicat. Quærebat igitur Valentinus unde malum oriretur. Initio igitur illi *Liberi Arbitrii* deesse aut amplitudinem aut novitatem poeticam quis contendet? Sed paucula verba depromere operæ pretium est.

« Videbam fluctus montanis superciliis proximos, atque, ut rem dicam, ad ipsum pertingentes cœlum, nec mihi inde aliud exspectandum occurrebat, quam ut universam terram.

submergerent, veniebatque in mentem fugæ locus, et arcam Noe animo effingebam..... Mox mare, ut intumuerat, in se ipsum resolvebatur, non transgrediens locum suum, veritum, ut verbo dicam, divinum mandatum. Ac quemadmodum haud raro servus aliquis, cogente Domino invitum quiddam facere, mandato quidem timens obsequitur, nec quidquam tamen, quod reluctantia sentit animo, audet dicere; sed plenus ira quadam secum immurmurat : sic et mihi videre videbar velut iratum mare, secumque ipsum claudens iram ac se continens, veritum Domino prodere. Hæc ita habentia, tacitus, intentis oculis, aspicere cœperam, volebamque cœlum animo metiri et orbem ejus. Quærebam ergo unde inciperet, quoque desineret. Atqui etiam de sole..... cœpi laudare Opificem qui terram fixam animaliumque differentias ac varios plantarum flores aspicerem. »

Hinc videre est quam elegans sit Methodius et coloris poetici ; hinc apparet cur vana specie delusi aliqui versus etiam de suo effudisse eum voluerint. Qui quidem a vero multum errare mihi videntur. Etenim si sæpe reperiuntur (quod non negaverim) transpositiones Methodio usitatæ, si dicendi formulas in illo admiraris poesi valde affines, an inde concludendum genera confudisse sanctum Doctorem atque solutæ orationi aut versus suo Marte compositos, aut phrases semi-poeticas, ut ita dicam, attexuisse ? Attulit quidem versus, ex industria attulit, ut vidimus, nullo modo autem Ovidiana facilitate imprudens effudit (1). Valde impediuntur nonnulli, quum unumquemque versum a Methodio prolatum suo auctori tribuere volunt. Exstant enim versus, et multi, quos

(1) Son style diffus, enflé et chargé d'épithètes a tous les défauts d'une mauvaise versification transportés dans la prose.

Homero aliisque poetis haud difficile addicas; sunt autem qui ad deperditos poetas videntur pertinere, etiam lyricos. Areten, verbi gratia, nobis ostendit quæ *in candidissimis semper incedit mentibus*: ἐπὶ λευκοτάτων ἀεὶ (vel αἰὲν) βάλινουσα φρενῶν (1). Methodium legentem magna primum subit admiratio, quod dramaticorum formas ille sectatur. Si vero rem attentius consideraveris, auctorem Platonem in hac re, sicut in plurimis, secutum eum fuisse deprehendes. Atqui, quod ad stylum attinet, errare me cum Platone libentissime patiar. Hoc tamen præ nobis ferendum, quod nullo modo negari potest, splendore adeo claro perfundi Methodii stylum, ut poetam, et poetam lyricum legere videaris. Sit hoc Methodii vitium, sicut et Platonis, si vitium est.

Rarissima res est, magna in imitando novitas. Hic enim quæ nobis inest memoria, vis ipsa imaginationis facit ut nosmetipsos exuamus, ut alienam et cogitandi et dicendi rationem induamus. Aliorum quidem dotes acquirimus, nostras vero ipsorum aut amittimus, aut minuimus. Auxit illustravitque facultates suas Methodius Platonem imitando. Platoniam enim sententiam, Platoniam elocutionem ita suam fecit, ut sæpe nescias utrum Platonem an Methodium legas: arte adeo nova et ingeniosa omnia cohærent et intexuntur! « Est duplex apud Methodium imitationis Platonice genus, ait Jahnius in egregio opere suo: *Methodius Platonizans*, unum quo ille Platonis dictiones et sententias de industria suum in usum convertit, alterum quo dicendi et sentiendi rationem quam ex Platonis consuetudine imbiberat, memoriter ac sponte sequi-

(1) *Orat. Theclæ*, c. 1.

tur. Quo quidem in duplici imitandi negotio tantum abest ut se putidum præbeat Methodius, ut sollers et ingeniosus reperiatur, qui Platonis verba et sententias imitando sæpe immutet, et vel amplificet, vel in brevius contrahat, vel denique ad alia argumenta transferat (1). » Egregium testimonium. Non enim se Platoni Methodius, sed Platonem sibi accomodat. Imagines autem summo artificio ad argumentum suum sæpe transfert. Hoc exemplum adducamus. Chororum consecratarum ipsi virginum in requiem novorum sæculorum tanquam in thalamum adducet Deus : « *Functæ enim martyrio, non ad breve temporis momentum sustinentes corporum gravamina, sed quoad vitam superstes fuit, OLYMPIACUM CASTIMONIE AGONEM fortiter obire non dubitarunt* (2). »

Sæpe quæ variis apud Platonem locis dispersa jacebant verba, ea Methodius aut callide conjunxit, aut admirabili arte sculpsit. In Phædro et in Legibus de furentibus amoribus dixerat ille ἀγρίων ἐρώτων — ἔρωτας λυττῶντας. Ultramque locutionem Methodius ad eos transtulit qui *effrenatis amorum voluptatibus furentes*. ἀγρίαις ἐρώτων λυττήσαντες ἡδοναίς.

In inveniendis autem aut transferendis verbis *feliciter audet*. Quum adhibuisset Plato τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα, eandem imaginem noster aptissime detorsit ad adolescentes τὴν μεираκιώδη τρίχα τοῦ νοῦ (3). Virginitatem vocat οὐρανόπορον, quæ ad cælos ducit. Ex adjectivo βραχύπορος, βραχυπορεῖν composuit.

(1) Præfat., p. 9.

(2) *Orat.* VII, c. III. Præclara ipsa est Platonis imitatio eadem imagine utentis.

(3) *Orat.* I.

Minuta nimis hæc forsani inveniatur aliquis, sed ex minutis illis styli proprietates et splendor efflorescit.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Quam novus atque fecundus videatur Methodius attente legentibus et singula perpendentibus, ex iudiciis illis iudicare licet. Non minus amplus est in dicendo. Spatiatur enim in explicanda sententia quam ipse, ut tranquillæ maris aquæ, circumluit atque ex omni parte amplectitur. Breves tamen sententias nonnunquam habet et sensus alti plenas. « Justitia, ut videtur, quadrata est, undequaque æqualis et sibi similis. Ὡς ἔοικεν, ἡ δικαιοσύνη τετράγωνος ἐστὶ, πάντοθεν ἴση καὶ ὁμοία (1).

Raro colligit et contrahit Methodius quæ contorta vibret aut infigat aculeata. Palmis, — si quando pugnat — expansis, non pugnis pugnat. Sententiam enim suam verbis magis quam rebus dilatat. Flumen habet orationis sedatum, plenis rivis fluens sine salubris, vel potius nescio quam æquabilitatem fusi æqualiter sermonis non depressi pueriliter, non superbe inflati, non carpti et amputati. Non enim capita rerum percurrit, quæ intermedia sunt à tergo relinquens, sed propositam materiam in omnes partes persequitur, hanc explicat et amplificat Asiaticorum more. Simul ex vi orationis, e sententiarum ac verborum pondere et majestate, magna dignitas efflorescit. Quamvis multa jam prolata fuerint, breve unum aut alterum exemplum liceat apponere.

« Nostrum est virtutem præferre poliorique loco habere, qui præ terrigenis mentem liberam ac arbitrii facultatem

(1) Migne, p. 407.

nulli obnoxiam necessitati, a Deo nacti simus, ut pleno jure ac arbitrio quæ libuerit, hæc eligamus, nec fato ulli ac fortunæ serviamus (1). »

« Quæ debellato prius diabolo, septem capita necaverit, septem virtutis coronas adipiscetur, septem magnis perfuncta castitatis certaminibus. Caput enim draconis est intemperantia et luxus : qui hoc caput confregerit, castitatis corona ornabitur. Caput est et ignavia, fractique animi imbellis pavor : qui hoc pedepremens eliserit, coronam auferet martyrii. Caput est et infidelitas et stultitia, et reliqua id genus improbitatis monstra : qui ea confecerit et perdidit, opima de illis victoriæ præmia reportabit, multis modis contusa potentia draconis (2). »

Non minus jucunde quam eloquenter enumerat, Nazianzeni aut Chrysostomi more. His verbis evolvit et amplificat sententiam illam : Crux est tanquam tropæum adversus iniquitatem erectum, quod hominem corruptione oppressum liberavit.

« Est enim crux, si eam definire velis, victoriæ firmitermentum, via qua Deus ad hominem descendit, tropæum adversus impuros spiritus, depulsio mortis, fundamentum ascensus ad verum diem, et scala festinantium frui luce, illa quæ isthic est ; machina per quam ii qui ad Ecclesiæ ædificium adapti sunt, inferne, lapidis quadrati instar, atrahuntur, sursum adaptandi divino Verbo. Hinc reges nostri ad dissipandum omne malum, figuram crucis assumendam censuerunt, et vexilla, ut latino sermone appellantur, confecerunt..... Unde ea ipsa figura qua ab origine eum considerat ornaveraturque, conformatum Dominus Deitati copulavit, ut organum deinceps esset Deo sacrum, omnis dissonantiæ et inconcinnitatis expers. Homo enim,

(1) *Orat.* VII, c. III.

(2) *Orat.* III, c. VI.

postquam ad Dei cultum informatus est et veritatis incorruptum veluti cantum concinnavit... ligno vitæ, fidium et nervorum instar applicitus, ad dissonantiam et corruptionem non potest redire. »

Sufficiant illa : ex his enim excerptis quæ in infinitum produci facile possint, plane apparet qua arte, qua felicitate ex scriptoribus vel sacris vel profanis expresserit Methodius quæ in sua opera transferret. Nec solum hac dicendi elegantia, hoc lepidi styli nitore in Convivio suo usus est, sed in aliis etiam operibus adhibuit. Quod si quis hoc experiri volet, sermonem de Simeone et Anna legat; illustrem orationem non sine admiratione inveniet, quæ theologicas altasque Nazianzeni homilias in memoriam revocet : adeo spirat in ea orator imaginibus vividis distinctus aut sacris Scripturis usus argute. Nazianzenum ipsum de Paschali festo canentem audire te putes.

CAPUT SEPTIMUM

CONCLUSIO.

Ut ex fragmentis allatis jam videre est, Methodius argumentis sæpe disputat philosophicis. Quum vero mundi æternitatem diluit, et originem mali aut corporis resurrectionem constituit, plurima bene tractat « acumen acumine superando ». Tanta doctrina et ardore Ecclesiam defendit, tum ab hæreticis et paganis, tum a domesticorum fidei erroribus, ut *acerrimus veritatis patronus* meruerit appellari. Sacras litteras et christianæ religionis dogmata summa dignitate exponit et illustrat. Methodius enim, etsi sensu mystico nimis Scripturas explicat, altam disciplinam quæ non minus philosophiam sapit quam pietatem, statuit et expendit. Adde quod, Socratis more, omnem doctrinam suam ad mores aut instituendos aut corrigendos convertit. Oratoris sacri partes agens, nec arte caret, nec vi oratoria, sed paululum turget; stylum autem sententiæ tam varietate quam gravitate speciosæ adeo commendant, ut lepore plurimo perfundatur. Jure igitur ac merito Methodium scriptorem *nitidi compositique sermonis* vocavit Hieronymus. Imo Catenam illam auream maximorum Patrum in Asia degentium noster incipit, qui lucem splendoremque inauditum litteris græcis continuo conciliant. Re

quidem vera, Methodii, Nysseni, Nazianzeni, Basilii et Chrysostomi, nonne ingenii facem præ se ferunt,

Et quasi cursores doctrinæ lampada tradunt?

Methodii igitur ingenium et doctrinam admirata est antiquitas, et summis Ecclesiæ Patribus eum adscripsit. « Et hoc multos sanctorum Patrum sensisse invenimus, quorum est Basilius ille Magnus, et sanctæ memoriæ Athanasius, atque Magnus Methodius, et qui eos sequuntur. » Methodium una cum Athanasio et Basilio Magno collocatum quis non admiretur et stupeat! Adeo magni fit Olympi episcopus, vel ut vera Ecclesiæ disciplina statuatur, vel ut affligantur hæreses. Sed legenda sunt et animo pensanda quæ de ejus sanctitate et doctrina canat Græcorum Ecclesia, die dicto Martyri sacro.

« Fuit ingenium et doctrina maxima Origenis, eam si cum Methodiana conferas, habet quod laudari possit et debeat, tamen vilescere videtur et dissoluta viribus fluere. Contra Methodiana est quæ semper vigens, florens, pungens, concitans auditorem vellicat et rapit. Mortua est Origeniana loquacitas, si cum Methodiana brevitate conferatur. Una Methodii pagina et luminibus oratoriis, et sententiis, et pietate, et eruditione firma et integra, centum Origenis paginas exæquat. Unum Methodii Symposium integro Origenis Commentario comparaveris.... »

Origenes, etsi nimis hic deprimitur, ut carpendo sæpe fit, tamen inde videre est quas Methodio partes tribuerit antiquitas. Re vera à Platone Methodius miram elegantiam, splendorem, novitatem et eximiam

in scribendo ubertatem retinuerat. Atticismum etiam sectatus est, non eum quidem brevem, sobrium, ornatui parum consulentem, sed quem styli amplitudo quædam, crebræ argutæque sententiæ commendent et illustrent. In Asia enim versabatur Methodius. Dignum igitur plane est Convivium quod ab omnibus qui, aut litteris, aut theologiæ, aut sacris Scripturis faveant, legatur et perpendatur. Hic enim Methodium, non dubiis lineis expressum habes, juvenem licet, attamen verum sincerumque, totum et in breve contractum; hic Ecclesiæ doctorem minime contemnendum, hic egregium Scripturæ explanatorem, hic libertatis humanæ patronum et vindicem. Nam quæ vivide disputat Thecla adversus Mathematicos et Astrologos, ea Methodius in hæreticos torquebit; quæ de Canticis exponit acule, ea deinceps expandet atque in commentarii corpus rediget. Majoris momenti operibus jam præludit, jam bonum fidei certamen certat.

Iis dotibus enituit Methodius quæ præstantissimum sacræ doctrinæ magistrum omnibus possint numeris absolvere. Sed operum ejus pars longe major injuria temporum periit. Quæ quidem opera, si nobis pervenissent integra, Doctorem illum inter Patres Ecclesiæ summos collocassent: egregia sunt enim quæ exstant fragmenta, nec Convivium decem virginum argumento nobis est obscuro quantum a theologis et toto clero profici possit, si in evolvendo Platone domicilium ponatur. Egregium ab omnibus habetur Methodii Convivium, et merito: nam si in opere illo ratio et methodus magis appareret, si varietas major majorque gradatio, haud facile librum invenias qui uberius, disertius, ornatius scriptus fuerit.

« La grâce et l'agrément du style ne sont pas les seuls

mérites de S. Méthodius : il brille aussi par l'attrayante originalité de son esprit. Jamais il ne s'arrête sur des idées communes : son regard pénétrant embrasse son sujet sous plusieurs points de vue, et son imagination toujours vive, et souvent hardie, aime à réunir les aspects les plus variés pour en former une sublime unité (1). » Sed libello huic finem imponamus, postquam Sinnerum, virum in Græcis non ineptum, de Convivio nostro loquentem audierimus.

« Il faut avouer que le Banquet du saint martyr est un ouvrage très remarquable tant pour le fond que pour la forme. La manière dont saint Méthodius, tout en calquant son Banquet sur celui de Platon, traite un sujet diamétralement opposé à celui du philosophe grec, les interprétations singulières des textes de la Bible, les imitations innombrables des tours de phrases platoniques, rendent cet ouvrage également intéressant pour l'ecclésiastique et pour le simple helléniste; et quoique je n'ose pas, comme l'a fait M. Nodier, gratifier le saint martyr du nom de poète, je suis encore moins disposé à trouver, comme ce spirituel bibliographe, son style diffus, enflé et chargé d'épithètes.... Celui qui aura étudié le texte grec pourra avouer, sans craindre de passer pour un homme dénué de goût, qu'il a trouvé plaisir (et profit) à lire le Banquet des dix vierges (2).

Hunc animi fructum, purissimam illam voluptatem non semel percepi: hanc percipient linguæ græcæ amantes qui litteris et rebus aut theologicis aut philologis favebunt. Methodium enim quem perperdita

(1) Mœlher, *la Patrologie*, trad. par Cohen, t. II, p. 287.

(2) Platonis *Conv.*, p. 32.

opera cum Nazianzeno et Basilio, etsi cum illis tum ingenio, tum doctrina nonnihil convenit, collocare minime sinunt, Nysseno non immerito contuleris. Uterque doctor enim magna vi imaginationis pollet; uterque summam et in dicendo et in scribendo ubertatem adhibet; uterque antiquam philosophiam qua erat imbutus, ad explicandam disciplinam christianam egregie convertit; uterque mulieribus sua jura suam dignitatem restituit (1) et vindicavit. In Nysseno tamen (ut pote Basillii Magni fratre) plus altæ doctrinæ et vis oratoriæ, in Methodio autem plus elegantia et suavitatis, plus ingenii in illo, in hoc vero plus curæ et leporis; in Nysseno judicium nonnunquam desideres et modum, in Methodio sinceram magis et nativam commentandæ Sacræ Scripturæ rationem. Inest autem utrique et altitudo animi, et vividi tum pietatis tum ingenii sensus, et quamvis in Scripturis mystice interpretandis modum aliquando excesserint (allegori-

(1) Nyss., orat. I, in *faciamus hominem* egregia habet: « Et mulier perinde atque vir ad imaginem Dei facta est. Eundem honorem habent ambæ naturæ, pares virtutes, eadem certamina, idem judicium. Ne dixeris: sum imbecilla. Imbecillitas in carne est, in animo autem vis ac robur... Non temere mulieri data est ea mollitudo, sed ut ad humanitatem facilius sit ad misericordiamque propensior, etc. » Egregias sententias et sensus alti plenas habet.

Doleo igitur Villemain qui tam eximie de Basilio, Nazianzeno et Chrysostomo dixerat, parum vera et exacta de Nysseno protulisse, de quo satius fuit nihil quam tam pauca dicere. Melius vero et rectius Aube (*Histoire générale des auteurs sacrés*, t. VIII): « On ne saurait rien admirer sans réserve dans ses œuvres; cependant on y rencontre fréquemment des morceaux pleins d'élévation et de vraie beauté, et animés d'une chaleur de sentiment qui va jusqu'à l'enthousiasme. »

zant enim), summas tamen utilitates hominibus etiam nostri temporis afferant. Methodium igitur primum inter Patres secundæ notæ jure ac merito possis collocare.

FINIS.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. X Kal. Jan. ann. MDCCCLXXX.

*Facultatis Litterarum in Academia
Parisiensi decanus,*

H. WALLON.

Vu et permis d'imprimer.

Le vice-recteur de l'Académie de Paris,

GRÉARD.

TABULA

PRÆFATIO : Operis propositum.....	VII
CAPUT I. Prolegomena de Methodio Patarensi ejusque scriptis.....	1
— II. Convivii prima pars. De virginitate apud an- tiquos et primis Ecclesiæ temporibus.....	16
— III. Convivii altera pars.....	35
— IV. Convivii finis : Virginum carmen.....	55
— V. Brevis comparatio de Platonis Conviviis et Methodii.....	63
— VI. De Methodii stylo : poesis, novitas, ubertas..	77
— VII. Conclusio.....	89

TABULA

..... 10
I. 1
II. 18
III. 24
IV. 30
V. 36
VI. 42
VII. 48
VIII. 54

ERRATA

Page ix,	ligne 11,	<i>au lieu de :</i>	omnia,	<i>lisez :</i>	omnia.
— ix	— 14	—	philloogo,	—	philologo.
— XIII	— 12	—	parte,	—	parte prima.
— 5	— 23	—	Phœnicia,	—	Phœnicia.
— 8	— 25	—	hereticos,	—	hæreticos.
— 12	— 6	—	non dici potest non esse,	<i>lisez</i>	non dici potest esse.
— 14	— 10	—	ad virum,	<i>lisez :</i>	ad vivum.
— 16	— 3	—	propylea,	—	propylæa.
— 17	— 9	—	fœminœ,	—	feminæ.
— 18	— 6	—	pedissequa,	—	pedisequa.
— 19	— 14	—	referus,	—	refertus.
— 21	— 6	—	effrœna,	—	effrena.
— 24	— 5	—	infœcundam,	—	infecundam.
— 26	— 19	—	cœdes,	—	cædes.
— 31	— 10	—	permenserint,	—	permanserint.
— 41	— 19	—	præscriptis,	—	præscriptis.
— 44	— 28	—	defœcatum,	—	defecatum.
— 45	— 20	—	sœculorum,	—	sæculorum.
— 46	— 7	—	ἀρετῆ ἥ;	—	ἀρετῆς ἥ.
— 46,	note	—	δικαιοσύνη,	—	δικαιοσύνη.
— 50,	ligne 28	—	cinædorum,	—	cinædorum.
— 52	— 9	—	ἐκτυπουμένης,	—	εκτυπουμένης.
— 52	— 32	—	Egypto,	—	Ægypto.
— 56	— 30	—	virgines :	—	virgines.
— 57	— 1	—	Phædro,	—	Phædro.
— 58	— 32	—	juvenes,	—	judices.
— 59,	7 ^e str., 4 ^e vers,	<i>au lieu de :</i>	μέλφουσαι,	<i>lisez :</i>	μέλπουσαι.
— 59,	15 ^e str., 1 ^{er} vers,	suppléez :	δρῶντες, εἶδο; εὐπρεπῆ; ὕψη;		δύο κριταί.
— 70,	ligne 7,	<i>au lieu de :</i>	corporearum,	<i>lisez :</i>	incorporearum.
— 70	— 20	—	enigmate,	—	ænigmate.
— 72	— 14	—	tædio,	—	tædio.
— 77, 78, 80,	etc.	—	stylus,	—	stilus.
— 74,	ligne 10	—	fœculentia,	—	fœculentia.
			celestis,	—	cœlestis.













